DE

VERA RELIGIONE

EXERCITATIO THEOLOGICA

JUXTA DOCTRINAM SS.

AUGUSTINI, et THOMAE AQUINATIS.

NEAPOLI 1791.

EXCUDEBAT JOSEPH DE HYPPOLITO.

Publica Auctoritate.

JOSEPH DE HYPPOLITO

LECTORI BENEVOLO

PRiusquam animum convertas ad hanc pervolutandam Exercitationem Theologicam, de caussis, quae me impulere ad eam evulgandam, paucis te monitum volo, Lector benevole. Cum postremis hisce temporibus Divina miserente Gratia avitae Religionis zelus penes aliquos magni nominis Theologos in dies effervescere, bonis omnibus acclamantibus, conspiciatur, è re publica futurum optime existimo, si ad incrementum Religionis, Fidelium instructionem, omnium denique utilitatem, profectum, eruditionem, ii evulgentur libri, qui sanioris Doctrinae pabulo Christianorum mentes excolant, et planissima, eaque tutissima proposita via, ad beatum salutis portum fidelissime dirigant. Hos inter Sapientiorum judicio suum sibi jure locum vindicat praesens haec de Vera Religione Exercitatio; in ea enim Clarissimus Au-

ctor Catholicae Religionis defoecatissima Dogmata brevi, ac dilucida methodo, ipsissimis Sacrae Scripturae verbis, et Sanctorum Patrum, Magni praecipue Augustini fulgidissimi Ecclesiae luminis ac Magistri phrasibus expressit, proposuit, tutatus est. Publica eam luce donaverat Clarissimus Auctor sub forma Thesium anno 1774. in ipsa Urbe Roma, doctissimis annuentibus Censoribus, ipsoque plenis Calculis adprobante Reverendissimo Sacri Palatii Apostolici Magistro Augustino Ricchinio, ut sanioris Theologiae Sectatore, ita Librorum oculatissimo Iudice; quae quidem omnia timidiori cuique magnum deberent ingerere illius comparandae studium, et quam diligentissime pervolutandae. Contigit hoc ipsum, favente Numine, in prima editione, quoniam divenditis illico, et summa aviditate hac illac asportatis Romanis Exemplaribus, ardens quemlibet veritatis amatorem secundae illius editionis desiderium incessit. Haec ego mente revolvens, ad eam iterum evulgandam serio animum adjeci; et licet doctissimus Auctor pro summa, qua praestat, humilitate, neque domesticorum, neque exterorum precibus adduci

po-

potuerit ad permittendam hanc editionem; illius tamen humillimae de semetipso existimationi haudquaquam obsequi satius duxi, ratus, me non inutilem sanioris Theologiae Sectatoribus, immo universae Ecclesiae navaturum operam, si pretiosum hocce avitae doctrinae depositum Fidelibus omnibus apertum esse curarem. Veniam igitur a modestissimo Auctore pro inexplebili suo erga doctrinam Augustinianam ejusque propagationem studio me facile consequuturum confido. Ipsum interim enixe rogo, ut Supremo luminum Patri, a quo descendit omne donum, ambo pro viribus agamus gratias, ipse quidem, quoniam accepit, ut scriberet, ego vero, ut pro communi utilitate evulgarem. Dignetur Deus vivificum suae benedictionis rorem super hanc Exercitationem infundere, ut omnium, ad quos pervenerit, coelestis luminis fulgore illustrato intellectu et sanctae dilectionis jaculo transverberata voluntate, veritatum, quas continet, amabili luce perfruantur Fideles, atque propriae infirmitatis edocti, profunda Dei et imperscrutabilia vereri discant judicia: adeo ut timore debito ac tremore propriam

salutem operantes, *ipso donante invictissime, quod bonum est, velint et hoc deserere invictissime nolint* (1) . . . . . . *donec misericordiosissima inspiratione flagrantissimae et luminosissimae caritatis* (2) . . . . . *indeclinabiliter et insuperabiliter acti*, illius efficiantur incolae *Civitatis*, *cujus Rex veritas, cujus lex caritas, cujus modus aeternitas*. (3)

EXER-

(1) S. August. lib. de Corrept. &. grat. cap. 12.
(2) Idem lib. de Gratia Christi c. 35.
(3) Idem Epist. 138. alias 5. ad Marcellinum num. 17.

EXERCITATIO THEOLOGICA

DE VERA RELIGIONE

Religio est, quae superioris cujusdam naturae, quam Divinam vocant, curam caeremoniamque affert (1).

§. II.

Cum illis itaque nobis res est, qui Deum esse non negant: neque id tantum; sed etiam non ab eo negligi res humanas fatentur. Nullum enim arbitramur aliquo Religionis nomine teneri, qui non saltem animis nostris Divina providentia consuli existimet (2). Alios autem, qui vel Deum existere, vel omnium naturarum, quae non sunt quod ipse, Creatorem, et Provisorem, Gubernatoremque non credunt, nimis indignum est ad istam Religionis disputationem admittere (3).

§. III.

Totum porro quod recte colitur Deus, non ipsi Deo prodest, qui nulla re sive proficere potest, sive deficere; sed utique prodest ipsi homini (4).

 Pro-

(1) S. Aug. in Lib. LXXXIII. Q., q. 31. n. 1. et S. Thom. 2. 2. q. 81. a. 1. in c.

(2) S. Aug. de Moribus Ecclesiae n. 10.

(3) Idem Lib. XI. de Civit. Dei c. 5.

(4) Idem ibid., et Epist. CII. al. XLIX. ad Deogratias n. 17. et S. Th. 2. 2. q. 81. a. 6. ad 2. et a. 7. in c.

Prodest autem in primis ad justitiam. Debetur enim Deo cultus a rationali creatura et propter summam Divinae naturae excellentiam, et propter supremum ejus in omnia dominium, et propter effusam ejusdem in omnia bonitatem (1). Est autem justitiae dare unicuique quod suum est. Prodest deinde ad obtinendam beatitudinem, cujus desiderio vehementer se teneri quisquis ratione jam utitur sentit: ad hanc enim nonnisi sectando justitiam posse perveniri nemo non intelligit.

§. IV.

Error igitur in Religione turpissimus est, idemque perniciosissimus. Quare pessime omnino populis consultum voluit M. Varro, qui expedire docuit, falli eos in Religione (2). Neque sceleratius minus, periculosiusque peccatur ab iis, qui omnes Religiones uno eodemque loco habendas esse, neque unam alteri praeferendam suadere nituntur; ac docent ejus regionis opinione unumquemque circa Dei cultnm regi oportere, in qua vivit, ac talem Deum cuique esse colendum, qualem Princeps, vel Respublica jubet (3).

§. V.

Hoc perversissimum ac perniciosissimum dogma, novi isti, (Deistae an Athei?) ab Ethnicis Philosophis accepisse videntur, qui cum de Divinitate di-

(1) Vid. S. Th. 2. 2. q. 81. a. 3. ad 1. et 2.

(2) In lib. rerum divinarum. Vid. S. Aug. L.IV. de C. D. c. 27.

(3) Vid. Anctor. Meditationum Philosophicarum de Deo, Mundo, et Homine.

diversas, atque adversas haberent opiniones, et neque cum Poetis, neque cum Sacerdotibus et Populo, sed neque inter se de tanta re consentirent; omnes tamen ad sacra communia conveniebant (1). Unde et Varro, qui naturalem Theologiam, explicantem scilicet Dii qui sint, et quae eorum natura, tamquam veram habuit, non solum nihil in ipsa culpando, sed et eam ad mundum pertinere asserendo; aliam tamen censuit tenendam in urbibus, Civilem ideo appellatam, docentem, quos Deos publice colere, quae sacra et sacrificia facere quemquam par sit, quam scilicet Sacerdotes et Populus sectabantur (2). Sed et Annaeus Seneca, cum non praecise ut Varro Theatricam atque fabulosam Poetarum, sed Urbanam Sacerdotum et Populi Theologiam incredibili plane libertate reprehendisset; tamen propter leges civium, moresque hominum, cum esset Senator Populi Romani, adorabat in templis, quod culpabat in libris; et in his sacris civilis Theologiae hanc docuit esse partem sapientis, ut ea servet tamquam legibus jussa, non tamquam Diis grata (3).

§. VI.

Ab hac Ethnicorum sapientum praxi, ab hac Senecae definita sententia quid distet illorum opinio, qui asserunt, licitum esse homini veram Religionem profitenti eamdem callide simulare usurpatione rituum, ciborum, vestium, nominumque gen-

(1) Vid. S. Aug. L. de vera Religione n. 1.
(2) Vid. S. Aug. de C. D. L. VI. cap. 5.
(3) Vid. ibid. c. 10.

gentium idololatrarum, ubi sint superstitiosi cultus indicia: eumdemque de Fide et Religione a potestate publica interrogatum posse absque culpa tacere; imo et dicere, se alterius cujusquam Religionis esse sectatorem, quam falsam judicat; videant illi, qui haec sentiunt. Nos discrimen nullum agnoscere valemus; atque hos, et Ethnicos, et, ut vocant, Indifferentistas non solum falli, contra justitiam dogmatizzare, et consecutioni beatitudinis aditum doctrinis suis occludere hominibus, si ab iis se decipi sinant, ostendimus; verum etiam peccare contra naturalem honestatem, et probitatem asserimus.

§. VII.

Nec ii audiendi sunt, qui docent, non teneri quempiam sectam suam falsam dimittere, et Religionem, quam probabilius veram esse judicat, amplecti, si ea, in qua est, sibi probabiliter, licet minus, vera esse videantur. Quod quid est aliud, quam asserere, hujusmodi errorem nec justitiam laedere, neque beatitudinis consecutionem impedire; atque ita viam sternere indifferentismo? cum nulla secta sit adeo devia et absurda, quae non vel aliqua fallaci veluti rationis similitudine, vel auctoritate majorum, a quibus fuerit derivata, caeterorumque, qui eam aut defendunt, aut imperant, aut sectantur, possit probabilis videri. Nos contra defendimus, quod cum pro gravitate negotii adhibenda sit major vel minor diligentia, ut habeatur certa cognitio, et major vel minor cautio, ut error caveatur; maxima omnino dili-

gentia et cautio in quaerenda seligendaque Religione adhibenda est: agitur enim de intelligendo et colendo Deo, deque beatitudine comparanda; de negotio nempe agitur omnium maximo. Porro conscientia erronea non excusat, nec sufficit ad absolvendum a culpa, quando ipso errore peccatur: ut cum errat circa ea, quae scire tenetur (1).

§. VIII.

Primus autem in Religione error est, si prò Deo colatur creatura, vel phantasma, quod creatura sibi confixerit. Talis nimirum fuit error illorum, qui aut affectui, aut Regibus deservientes, incommunicabile nomen lapidibus et lignis imposuerunt (2). Nimirum acerbo luctu lugens pater, cito sibi rapti filii fecit imaginem, et illum, qui tunc quasi homo mortuus fuerat, nunc tamquam Deum colere coepit, et constituit inter servos suos sacra et sacrificia: deinde interveniente tempore, convalescente iniqua consuetudine, hic error tamquam lex custoditus est, et tyrannorum imperio colebantur figmenta (3). Sed et hos, quos in palam homines honorare non poterant, propter hoc, quod longe essent, e longinquo figura eorum allata, evidentem imaginem Regis, quem honorare volebant, fecerunt, ut illum, qui abe-

(1) Vid. S. Th. q. 17. de verit. a. 3. ad 4. et Quodlib. 8. a. 15., et 1. 2. q. 76. a. 2. et lect. 7. in cap. 1. Ep. ad Rom.

(2) Sapient. XIV. 21.

(3) Ibid. vv. 15. et 16. Vid. et S. Th. 2. 2. q. 94. a. 4. in c.

aberat, tamquam praesentem colerent sua solieitudine. Provexit autem ad horum culturam et hos, qui ignorabant, artificis mira diligentia. Ille enim volens placere illi, qui se assumpsit, elaboravit arte sua, ut similitudinem in melius figuraret. Multitudo autem hominum adducta per speciem operis, eum, qui ante tempus tamquam homo honoratus fuerat, nunc Deum aestimaverunt (1).

§. IX.

Hic error longe lateque pervagatus est. Nam et AEgyptios Isidem & Osiridem Reges suos tamquam Deos habuisse explorata res est, et Assyrios Belum. Sed et majores gentium Deos homines fuisse, quos populorum benevolentia in coelum delatos suspicabatur, testatur Cicero in Tusculanis (2): ubi etiam commemorat, illorum sepulcra demonstrari in Graecia; unde et talium Deorum sacra ex cujusque eorum vita vel morte, qua inter homines vixerunt, vel obierunt, esse composita asserit Varro (3); atque ante hos Jovem, caeterosque tales Deos, quos Varro Selectos appellat, homines fuisse mortalesque, conscripsit Euhemerus, quem ab Ennio in latinum conversum Tullius commemorat (4): et Leon ille magnus apud AEgyptios sacrorum Antistes indubiis mo-

(1) Ibid. vv. 17. 18. 19. 20. Vid. et S. Th. loc. mox cit.

(2) Tuscul. I.

(3) In lib. Antiquitatum rerum Divinarum.

(4) In I. de Nat. Deor.

monumentis, ex litteris nempe, quae apud eos sacrae habebantur, declaravit Alexandro Macedoni, ut hic testatus est scribens ad Olympiam matrem suam; quamquam Leon iste diversam a Graecorum opinione Deorum istorum originem prodiderit (1).

§. X.

Hujusmodi idololatriae genus viguit etiam, vigetque apud Sinenses. Hi enim Confucio, defunctorumque parentum atque avorum animabus templa constituunt, sacerdotes instituunt, appositisque tabellis inscriptis = *Sedes*, *aut Thronus animae*, *seu spiritus N. N.* = libamina et sacrificia statis temporibus offerunt (2). Ut proinde mirum sit, Auctorem Commentariorum de Sinarum regno (3) scripto vulgasse, quod Sinarum populus per annos bis mille verum Deum coluit ea ratione et modo, qui Christianis exemplo et documento esse possit. Verum adversus eos, qui Sinenses ritus negant esse idololatricos, caussa finita est celeberrima Clementis XI. Constitutione = *Ex illa die* = edita 19. Martii 1715. postquam idem Pontifex jam ab anno 1710. die 25. Septembris confirmaverat decretum Eminentiss. D. Cardinalis Ca-

(1) Vid. S. Aug. Lib. I. de Consensu Evangelist. n. 32. et 33., et de C. D. L. VI. c. 7. n. 1., Lib. VIII. c. 5., Lib. XII. c. 10., et Ep. XVII. al. XLIV. ad Maximum Madaurensem n. 3.

(2) Vid. Hist. cultus Sinensium pag. 17. et Apolog. FF. Praedic. Coloniae an. 1699.

(3) Tom. II. pag. 141. I. edit., vel pag. 114. edit. III.

Caroli Thomae de Tournon, quod etiam postmodum comprobavit Benedictus XIII. die 12. Decembris an. 1727.

§. XI.

Neque tamen apud omnes gentes semper obtinuerunt Idola. Nam & Sinenses Confucii, et progenitorum nomina tabellis insculpta habent, simulacra non habent: et plures ex vetustissimis plurium Deorum veneratoribus, quasi eos puderet illos colere, quos homines fuisse, mortalesque faterentur, eosdem consecrare coeperunt in stellas, ipsasque, sive potius in eis defunctorum animas venerari. Sic Phoenices, teste Athenæo, Regem suum Kronon in eam stellam, quam nos Saturnum vocamus, consecraverunt: Astarte pariter in Veneris stellam, & Hammon in Arietem sacrati sunt: et AEgyptii Isidem dixerunt Lunam; Osiridem autem Solem.

§. XII.

Sed ecce qui paulo ante formidaverant homines tamquam Deos colere sub humana specie; mox ob quamdam similitudinem, quam iis habere astra cum animalibus visa sunt, coeperunt sibi fingere idola animalium; ita ut Bos dictus sit Apis propter Lunam; Phoenix, Draco, & Accipiter propter Solem. Atque hinc paullatim adinventae sunt aliae Deorum imagines avium, pecudum, piscium; et monstruosae quamplurimae. Quin et tanquam Dii haberi coeperunt animalia, et stipites, et herbae etc.

XIII.

§. XIII.

Cum ita homines, ut verbis utamur, quae ab Hermete AEgyptio, quem Trismegistum vocant, ipsa plane vis veritatis extorsit (1), multum errabant circa Deorum rationem increduli, et non animadvertentes ad cultum, religionemque divinam; invenerunt artem, qua efficerent Deos: scilicet quoniam animas facere non poterant, evocatas animas daemonum eas indiderunt imaginibus, sanctis divinisque (ut ipse ait) mysteriis, per quas Idola et benefaciendi et male vires habere potuissent (2).

§. XIV.

Qui autem inter gentes sapientiae laude celebrabantur, etsi cum populo in idolis, vel astris, aut etiam animantibus divinos honores tribuerent Angelis aut Daemonibus, aut Spiritibus defunctorum; juxta eam tamen sententiam, qua credebant, Deum ire per omnes terrasque, tractusque maris, coelumque profundum (3), coelum, solem, lunam, astra etc. potius colebant ut virtutes vel partes Dei; quasi ipse sit in aethere Juppiter, in aere Juno, in mari Neptunus etc. quae opinio velut magnorum, multumque doctorum fuit (4): quam et Varronem tenuisse constat; quippe cui ii soli visi

(1) In Dialogo, cui titulus: *Asclepius*.

(2) Vid. S. Aug. de C. D. L. VIII. & ex eo S. Th. 2. 2. q. 94. a. 1. in c.

(3) Virgil. Georgic. IV.

(4) Vid. S. Aug. de C. D. L. IX. c. 11., & S. Th. 2. 2. q. 74. a. 1. in c.

visi sint animadvertisse, quid esset Deus, qui crediderunt, ipsum esse animam motu, ac ratione mundum gubernantem (1).

§. XV.

Hinc vero apparet, non usque adeo detritam fuisse in mentibus hominum notitiam unius Dei, ut non saltem apud plures eorum, qui Diis multis sacra faciebant, licet deformata, remanserit. Non solum enim qui inter gentes doctrina praestantiores sunt habiti unum summum Deum agnoverunt, etsi perperam putarent, ipsum esse vel mundum vel mundi animam (2): sed et ipse Hermes, qui artem faciendi Deos ab hominibus inventam commemoravit, non tacuit, *Dominum et Patrem, vel quod est summum, Deum effectorem esse Deorum caelestium* (3): et Sinenses unum pariter summum Deum agnoscunt, quem vocant *Kang-Ti*, quamquam eo nomine vel caelum, vel subtilissimam quamdam materiam (id enim putant esse Deum) intelligunt: et rudiores denique inter Ethnicos Jovem tamquam Deorum Regem habuerunt, cujus potestati, et imperio Diique, Deaeque omnes subjicerentur (4).

§. XVI.

(1) Vid. S. Aug. de C. D. Lib. IV. c. 11.
(2) Vid. §. XIV.
(3) in cit. Dialogo *Asclepius*, apud. S. Aug. de C. D. L. VIII. c. 23. n. 1.
(4) Vid. Epist. Longiniani Pagani inter Augustinian. CCXXXIV. al. XXI. n. 2.

§. XVI.

Nimirum usque adeo falsum est, quod Deorum pluralitas stando puris principiis naturalibus possit defendi, quodque prudentia humana viribus naturae derelicta probabilissime crederet dari plures Deos (1); ut imo eadem naturalis ratio, quae docet Deum existere, ostendat pariter, quod Deus, si unus non est, omnino non est (2). Si enim plures Dii sunt, nullus eorum summus est; dum unius natura alteri comparata iuvenitur aequalis. Rursus si plures Dii sunt, poterit eorum quilibet aequali independentia, & potestate res diversas producere, productasque administrare, easque si velit in nihilum redigere: ita nullus omnia posset, nullus omnia sciret, nullus omnibus imperaret; hoc est nullus esset Deus (3). Vera proinde Religio non est, nisi in cultu unius Dei.

§. XVII.

Itaque turpissime errarunt, qui pluribus Diis sacra fecerunt: dum vel Divinam naturam rebus etiam corporeis, aut daemonibus, vel defunctorum spiritibus inesse, aut communicari censebant; vel iis naturis, quas sciebant non esse divinas, divinos tamen tribuebant honores: alterutro modo commutantes gloriam incorruptibilis Dei in simili-

 litu-

(1) Vid. Caram. Theolog. moral. n. 1559. et num. 1563.

(2) Tertullian. Lib. 1. c. Marcio. c. 3. Vid. Ludov. Thom. lib. II. Theo. Dogm. cap. 1.

(3) Vid. S. Th. 1. p. q. 11. a. 3. in c.

litudinem imaginis corruptibilis hominis, et volucrum, & quadrupedum, & serpentium (1); et non advertentes, quod si faciat homo Deos, ecce ipsi non sunt Dii (2). Quare justissimo Dei judicio factum est, ut qui vel specie creaturarum delectati ignem, spiritum, citatum aerem, gyrum stellarum, nimiam aquam, solem, lunam, rectores orbis terrarum Deos putaverunt; vel evanescentes in cogitationibus suis appellaverunt Deos aut Daemonia, aut opera manuum hominum; in horum Deorum cultu filios suos sacrificantes, aut obscura sacrificia facientes, aut infamiae plenas vigilias habentes (3) facerent, ac paterentur tam indecora honestis, tam indigna liberis, tam dissimilia sanis hominibus, ut, teste Seneca in eo libro quem contra superstitiones condidit (4), nemo fuerit dubitaturus, furere eos, si cum paucioribus furerent. Ita ex ipso cultu vanitate, crudelitate, turpitudine plenissimo manifestum factum est, quod omnes Dii gentium Daemonia sunt (5) sub defunctarum occasionibus animarum, vel creaturarum specie mundanarum, Deos se putari cupientia, et quasi Divinis honoribus, eisdemque scelestis, ac turpibus rebus superba impuritate laetantia, atque humanis animis ad ve-

(1) Rom. I. 21.
(2) Ierem. XVI. 20.
(3) Vid. Sapient. cap. XIII., per totum, et cap. XIV. a v. 23. ad 30. inclus.
(4) Vid. S. August. de Civit. Dei Lib. VI. cap. 10. n. 2.
(5) Psalm. XCV. 5.

ad verum Deum conversionem, veramque felicitatem invidentia (1).

§. XVIII.

Nihil hic addimus praeterea de iis, qui aut dona Dei, ut victoriam, felicitatem, concordiam, pacem etc., aut Actus Providentiae ejus tamquam Deos habuerunt: quin etiam pallorem, & febrem, & alia hujusmodi. Quisquis enim ratione uti velit, facile convincitur, ingratum esse, atque in Deum perduellem quisquis aut dona ejus, aut Providentiae ipsius opera, aut quae homini accidunt sive ipsius mala voluntate, sive aliorum injuria, sive mortalis conditione naturae, tamquam ipsum Deum habeat bonorum omnium largitorem, rerum omnium provisorem, gubernatoremque, atque omnium naturarum conditorem, et in fines debitos ordinatorem; nec Deos esse intelliget, quibus ita haec infima commissa putantur officia, ut ab iis non solum aeterna vita, sed neque aliquid aliud, praeterquam id, ad quod praestandum fuere conficti, aut rogari possit, aut expeti: quales erant apud Romanos Dii AEsculapius, Aesculanus, Argentinus, Spiniensis etc., Deaeque Opis, Cunina, Rumina, Abeona, Adeona, Fessonia etc. (2).

§. XIX.

Haec tam turpis, tamque perniciosa humanae vitae deceptio, qua homines Deos multos coluerunt, utrum ante diluvium obtinuerit, nec ne,

 defi-

(1) Vid. S. Aug. de Civ. Dei Lib. VII. c. 33.

(2) Vid. S. August. de Civit. Dei L. IV. c. 11. et seq.

definiri certo non potest. Si tamen obtinuit, non utique profluxit ab Enos filio Seth, ut perperam censuit R. Maimonides (1): cum imo ab Enos coeperit generatio justorum, qui in Scripturis (2) speciali titulo appellantur *Filii Dei* (3). Quare licet hebraicum verbum Geneseos IV. 26. aliquando usurpetur pro *violare* ac *profanare*; eo tamen loco sic reddi debet, quemadmodum legit Vulgata nostra, Enos coepisse invocare nomen Domini; quod scilicet ejus opera certis constitutis ritibus instauratus sit Dei cultus; sive ut legit Itala, quam sequitur S. Augustinus, Enos sperasse invocare nomen Domini Dei; exorturum nempe a se populum, qui secundum electionem gratiae invocaret nomen Domini Dei (4).

§. XX.

Post diluvium autem cito satis obtinuit Polytheismus. Nam et de Thare Patre Abrahae, et de Nachor ejusdem Abrahae fratre scimus (5), quod servierunt Diis alienis: quamquam non immerito existimetur, Thare abjecisse postmodum cultum Idolorum; et ideo exisse una cum Abrahamo filio suo, et Lot filio Aran, et Sara nuru sua de terra Chaldaeorum (6), quoniam noluerunt sequi Deos Patrum suorum, qui erant in terra Chaldaeo-

(1) Lib. de Idololatria.
(2) Gen. VI. 2.
(3) Vid. S. Aug. de Civ. Dei L. XV. c. 18.
(4) Vid. S. Aug. cit. loco.
(5) Josue XXIV. 2.
(6) Gen. XI. 31.

daeorum, ut ait Achior ad Holofernem (1). Sed et Nachor frater Abrahae, qui non est nominatus quando ex gente Chaldaea cum suis profectus est Thare, et habitavit in Mesopotamia, forte quia adhuc adhaerebat superstitioni Chaldaeorum; inde tamen exisse et ipse, atque in Mesopotamia constitisse, ibique de suo nomine Civitatem extruxisse invenitur (2); quod poenitentiae ejus non leve indicium est: Laban autem ejus nepotem iterum ad Idolorum cultum deflexisse constat ex idolis, quae filia ejus Rachel de paterna domo furto abstulit (3); quae Iacob, una cum aliis Idolis a familiaribus suis e regione trans Euphratem delatis, in Chananitide subter terebinthum, quae erat post urbem Sichem, infodit (4).

§. XXI.

Ex his intelligitur, Polytheismum longe ante Moysem invaluisse; usque adeo non ab ipso profluxit, aut ejus tempore a Gente Hebraeorum. Huic imo sub gravissimarum comminatione poenarum vetitus est astrorum, aut quorumcumque Idolorum cultus: et Moyses conflatum ab Aaron vitulum aureum combussit, et contrivit usque ad pulverem; Aaronem ipsum graviter increpavit; ejusque jussu 23. hominum millia, qui peccaverant,

(1) Judith. V. 7.
(2) Gen. XXIV. 10. Vid. S. Aug. de C. D. L. XVI. c. 12. & 13.
(3) Gen. XXXI. 19.
(4) Gen. XXXV. 4.

rant, gladio ceciderunt (1). Quod si serpentem aeneum erexit; non idolum statuit ad adorandum; sed pro signo posuit, quo mors morte destructa tamquam crucifixae mortis similitudine significaretur, ut in ipsum qnicumque ab ignitis serpentibus percussus aspiceret, sanaretur (2). Unde et jubente Domino, qui omnium simulacrorum cultum tamquam capitale crimen prohibuerat, serpentem aeneum exaltavit Moyses (3); et id in prophetiam fuisse mortis suae, et per eam salutis credentium, adtestatus est Christus (4). Cum autem serpentem ipsum propter facti memoriam reservatum populus errans tamquam idolum postea colere coepisset, Ezechias Rex religiosa potestate Deo serviens eumdem cum magna pietatis laude contrivit (5).

§. XXII.

Intelligitur pariter, quod licet, sicut jam manifestior populus Dei in Aegypto, ita in terra Chaldaeorum, et etiam in Mesopotamia servierint diis pluribus ii quoque, qui erant de familia Thare propagata a Sem per Heber, ex qua familia per Abraham Haebreorum gens propagata est; non tamen in ipsa familia ortum habuerit Polytheismus. Nam et Thare aperte dicitur servisse diis, non suis,

(1) Exod. XXXII. vv. 20. 21. 28.

(2) Num. XXI. 9. Vid. et S. Aug. de C. D. L. X. c. 8.

(3) Num. XXI. 8. 9.

(4) Joan. III. 14. Vid. et S. Aug. Tract. XXI. in Joan. n. 11.

(5) IV. Reg. XVIII. 4.

suis, sed alienis (1); et egressus deinde e regione Chaldaeorum venisse in Mesopotamiam cum Abraham filio suo (2), quia noluerint hi sequi Deos Chaldaeorum, sed adoraverint Deum caeli, quem cognoverant (3). Ante Thare autem neminem eorum, per quos a Sem originem duxit, pluribus diis servisse, ipsum Iosue silentium declarat.

§. XXIII.

Verius a posteris Cham censetur exortus Polytheismus. Cui opinioni favet, quod apud Assyrios, Aegyptios, et Chananaeos antiquitus obtinuerit: harum autem regionum populi disseminati sunt a filiis Cham, ut de Assyriis per Nemrod filium Chus, filii Cham, cujus Nemrod principium regni fuit Babylon, et de Chananaeis per Chanaan filio pariter Cham, apparet ex historia Geneseos (4); ex altero autem filio Cham, qui vocabatur Mezraim, Aegyptii perhibentur exorti (5): unde Aegyptus appellatur terra Cham (6). Ex Aegypto in Graeciam adscitos Deos, testatur Herodotus (7): ab his ad Romanos propagatum plu-

(1) Josue XXIV. 2.
(2) Genes. XI. 31.
(3) Judith. V. 7. Vid. S. Aug. de C. D. L. XVI. cap. 12. et 13.
(4) Cap. X. a vers. 6. ad 19.
(5) Vid. S. Aug. de Civit. Dei L. XVI. cap. 11. n. 3.
(6) Psal. CIV. 23. 27.
(7) Lib. II. cap. 145.

rium Deorum cultum, ex ipsa Romanorum historia exploratum habemus.

§. XXIV.

Una cum Polytheismo derivata a posteris Cham videtur opinio de duobus summis, sibique mutuo adversis principiis bono, et malo; quam deinde a Cerdonianis, et Marcionitis, aliisque etiam vetustioribus haereticis acceptam latius propagarunt Manichaei; eam enim obtinuisse tum apud Aegyptios, tum apud Magos Persarum, testatur Plutarchus. Inde etiam opinio Stoicorum de Fato, cui tamquam principio summo tanta vis tributa est, ut ei vel ipse Deus cedere cogeretur invitus: opinio etiam de incomposita materia adversaria, et reluctante naturae beneficae, quam Democritus primum, et Chrysippus confinxerunt, teste Platone (1); opinio denique de Diis malis, quibus sacra facienda esse, ne noceant, asseruerunt etiam Porphyrius (2), et Apulejus Afer (3) Platonici Philosophi; cum tamen Plato omnes Deos bonos, et nullum Deorum malum esse tradidisset (4).

§. XXV.

Porro nihil absurdius, quam Deos existimare; qui mali sint: quia si mali putantur voluntate, quae jam alia erit eorum natura, nisi defectibilis?

(1) In Lib. de Legib.
(2) Lib. II. de abstinentia animatorum.
(3) Lib. de Deo Socratis.
(4) Lib. X. de Leg., et II., de Rep. Vid. S. August. de Civ. Dei L. VIII. cap. 13. et 16.

lis? aut quis, nisi insaniens, vel eos dixerit Deos, qui ab incommutabili lege aequitatis aversi sunt; vel divinis honoribus dignos, qui cum nocendi sint cupidissimi, non à nocendo cultoribus suis abstinerent, nisi eis talium numinum cultu gravius noceretur? Malos autem eos dicere natura, quid aliud est quam dicere, Malum esse aliquam, eamque summam substantiam; cum tamen non sit nisi defectus? Sed et Fatum quis, nisi demens, possit cogitare ullam esse substantiam, vel naturam tantaeque virtutis, ut possit obsistere omnipotenti: cum praesertim nemo eorum, qui Fatum admiserunt, esse ipsum rem aliquam ausus fuerit umquam comminisci? Deum quoque existere negent oportet, qui materiam, quaecumque ea demum fingatur, reluctari posse Deo volenti benefacere blasphemarunt. Ut autem pressius urgeamus assertores duorum summorum sibique mutuo adversantium Principiorum, illam prae ceteris disputandi rationem seligimus, duce S. Augustino (1), ut ostendamus, quanta ipsi bona in eo ponant, quod dicunt naturam summi mali, ubi ponunt vitam, potentiam, salutem; intellectum, temperiem etc. In eo autem quod dicunt summum bonum quanta ponant mala, impotentiam, egestatem, insipientiam, et, praeter alia, perturbationem timoris; quo factum est, ut metuens labem et vastitatem saeculis suis, partem naturae suae mi-

(1) L. de natura Boni contra Manichaeos cap. 41. 42. 43.

miserit crudeliter miscendam, turpiter purgandam, inique damnandam.

XXVI.

Alter in Religione error est, si unum quidem verum Deum, idest omnis animae corporisque Creatorem, colere quisque contendat; tamen colendum, non ut colendus est, colat (1). Ipsa videlicet ratio naturalis ostendit, servitutem Religionis non ad placitum servientis hominis esse praestandam, sed ad Domini jubentis voluntatem: idque tum propter summam Divinae naturae excellentiam; tum propter supremum ipsius in omnia dominium; tum ut cultus ipse prosit homini ad habendam justitiam, et beatitudinem assequendam (2); tum denique, ut quod a creatura rationali exhibetur Deo Religionis obsequium, sit ipsius creaturae rationalis conditioni conveniens; obsequium nempe non qualecumque, sed rationabile (3); ad quod plane requiritur, quemadmodum ratione duce agnovit Socrates relatus a S. Augustino (4), ut Deum rationalis eadem creatura sic colat, quomodo se colendum ille voluerit; ne videlicet si alio modo eum colat, quam quo se colendum esse voluerit, non utique Deum colat, sed quod creatura sibi ipsa finxisset.

§. XXVII.

---

(1) Vid. S. Aug. de Civ. Dei L. VII. c. 27.
(2) Vid. sup. §. III.
(3) Rom. XII. 1.
(4) Lib. I. de consens. Evangelist. n. 56.

§. XXVII.

Ex his evertitur Indifferentismus (1), quem ab Ethnicis derivatum (2) nuper quidam Dogmatistae sub obtentu levandi populos a jugo superstitionis, hominum partim inscitia, partim dolo, ac fraude, ut ipsi ajunt, inductae, stabilire moliuntur. Religio non in falsitate, sed in veritate propria locutione dicitur: proinde verus Dei cultus, Religio; falsus, superstitio vocatur (3). Veritas autem nonnisi una; atque idcirco nonnisi una vera Religio; quam proinde homo, qui Deo debet servitutem Religionis, qualem Deus velit (4), tenetur omni studio investigare, inventamque, caeteris rejectis, seligere (5). Cum enim Deus sit spiritus (6), idemque sit verax (7), quemadmodum ratio ipsa demonstrat; evidentissime illud consequitur, quod oporteat in spiritu, et veritate Deum adorare, quodque tales ipse quaerat, qui adorent eum (8).

§. XXVIII.

Procul itaque abeant illorum, qui Indifferentismum tuentur, commenta: Deum varietate Religionum delectari, quomodo Princeps diversis populis

(1) Vid. sup. §. III.
(2) Vid. sup. §. IV.
(3) Vide S. Aug. L. II. c. Gaudentium Donatistam cap. 12.
(4) Vid. praeced. §. XXVI.
(5) Vid. sup. §. VII.
(6) Joan. IV. 24.
(7) Joan. III. 33.
(8) Joan. IV. 23. 24.

pulis imperans variis eorum ritibus pugnandi, salutandi, etc. delectatur; quomodo ipse Deus delectatur varietate creaturarum, a quibus vult variis modis laudari: nihilque interesse, quam diversis Sacramentis colatur, si quod colitur Deus est: sicut nihil interest pro diversa linguarum, auditorumque discrepantia quam diversis sonis aliquid dicatur, si quod dicitur verum est: unde et ipse Deus invenitur alia Sacramenta, ac Sacrificia accepta habuisse ante datam Judaeis legem, alia instituisse per Abraham, et Moysem, et rursus his abrogatis, alia per Christnm fuisse praecepta. Procul inquam abeant haec novorum dogmatistarum commenta. Rituum varietatem, piorum actuum multiplicitatem, idiomatum diversitatem Religio vera admittit; errorem, superstitionem, mendacium non admittit. Sit ergo verum, quod dicitur, nihil interest quibus verbis dicatur; dummodo audientium intelligentiae congruant verba; nec alius iis sensus apponatur; quam quem habent ex communi hominum placito. Sit sanctum, quod colitur; nihil interest quibus Sacramentis celebretur; dummodo haec sint instituta a Deo, ad cujus placitum exigere debet homo sui cnltus obsequium (1). Sit pium, quod geritur; nihil interest quibus ritibus peragatur; dummodo hi non temere assumantur, sed legitima auctoritate probentur (2). Non itaque quia in populo Dei una, eademque res aliis atque aliis Sacris, et Sacramentis

(1) Vid. S. Th. 2. 2. q. 81. a. 2. ad 3.
(2) Vid. S. Th. loc. cit. et q. 93. a. 1. ad 3.

mentis vel prophetata est, vel annunciata, non humana praesumptione, sed auctoritate divina; ideo fides ipsa variata est, aut multiplex, ac diversa successive inducta Religio; sed fuit congrua omnino dispensatio (1). Indifferentistae autem non praecise probant pro diversitate populorum ritus diversos, in quibus nihil sit inordinatum; sicut Princeps diversis nationibus imperans; sed probant diversitatem Religionum humana praesumptione inductam, quarum una rejicit tamquam aut falsum, aut impium, quod tamquam verum, sanctum, justum altera amplectitur; ut dum creaturae singulae ordinem ipsis statutum servando Deum laudant, sola creatura rationalis per diversos errores defluens a fine suo deviet Deum colendi.

§. XXIX.

Neque propterea acceptus censeri potest Deo cultus, qui ei praestatur ab homine in quacumque secta, quia homo se conformat jussioni Principis, aut institutioni parentum; alias et plurium Deorum cultus eodem titulo fuisset Deo acceptissimus, quod ne ipsi quidem probant Indifferentistae. Vult ergo equidem Deus, omnem animam subjectam esse potestatibus (2); sed in iis, quae sunt ipsarum potestatum. At Religio non ad Principem, non ad Parentes, aliamve humanam potestatem, sed ad Deum refertur; ipsique uni debetur (3). Red-

(1) Vid. S. Aug. Epist. CII. al. XLIX. ad Deogratias n. 12. et 21.

(2) Rom. XIII. 1.

(3) Vid. sup. §§. I., et III.

Reddantur igitur omnibus debita: cui tributum, tributum: cui vectigal, vectigal: cui timorem, timorem: cui honorem, honorem (1); sed reddantur etiam Deo, quae Dei sunt (2). Hoc si vetat cujuslibet potestatis jussio, respondeatur, *Obedire oportet Deo magis, quam hominibus* (3).

§. XXX.

Si postremo Indifferentistae eo se recipiant, ut dicant, hoc maxime convenire, ut homo Deum colat praecipue per id, quod est in ipso homine melius, idest per rationem; per hanc vero coli Deum, dum ratio ipsa investigat, quibus sacris possit ipsi Deo magis placere: itaque conveniens fuisse, ut Deus arbitrio hominis cultum suum relinqueret; et in quacumque Religione colatur acceptam haberet piam hominis voluntatem, qua studet ipsi Deo placere. Si huc, inquam, se recipiant; intelligant, decere imo, ut homo cultum Deo praestet per rationem, eamdem subjiciendo revelationi, eamque captivando in obsequium fidei; cum id vere sit subjectionis, et obedientiae ex parte hominis; aliunde vero maxime deceat summum Dei dominium, summamque ipsius sapientiam, et bonitatem, ut suam voluntatem servo declaret.

§. XXXI.

Vera itaque est Religio, qua colitur unus Deus secundum ipsius institutionem, atque doctrinam

(1) Rom. XIII. 7.
(2) Matt. XXII. 21.
(3) Act. V. 29.

nam (1). Sed hic magna oritur quaestio : utrum scilicet divina haec institutio, atque doctrina contineatur sola cognitione unius Dei, et praeceptis legis naturalis; an etiam constet revelatione. Mirum, quam multo molimine conati sint Deistae Revelationem evertere. Alii possibilitatem impugnarunt, indignum Deo asserentes, ut ad homines loqueretur, iisque aliquid patefaceret; non intelligentes superbi homines, id fuisse imo maxime dignum bonitate, sapientia, sanctitate Dei, ut Religionem hominibus revelaret; Bonitate quidem; ut homini subveniret, quem diligit ejus errores sanando, ignorantiae ejus succurrendo, eique ostendendo veritatis, et justitiae viam, per quam ad beatitudinem posset pervenire; Sapientia autem; ut homo, accepta notitia voluntatis Domini sui, in eum finem tendere posset, ad quem ipsum ordinaverat: Sanctitate denique; ut per publicam suae voluntatis manifestationem hominibus, quorum sanctitate, et salute delectatur, notum faceret, quid eos agere velit, quid vitare. Nam et Principis optimi est leges condere, atque ut promulgentur efficere (2).

§. XXXII.

Necessitatem alii impetunt Revelationis, dicentes, ipsam nihil aliud continere, nisi aut Legem naturalem, aut ea certe, quae neque ad colendum Deum, neque ad beatitudinem obtinendam quid-

quam

(1) Vid. S. Aug. Epist. CII. al. XLIX. ad Deogratias n. 18.

(2) Vid. S. Th. 1. 2. q. 91. a. 4.

quam conferunt. Sed falluntur prorsus. Nam et plura sunt revelata, quae naturali lege non continentur; ut praecepta Circumcisionis, ac Baptismi: et ex revelatis plura sunt, quae omnem humanum captum excedunt; ut sunt ea, quae ad numerum et ordinem Personarum in divinis; ad Redemptionem hominis, ad spem vitae aeternae etc. referuntur. Neque inanis censeri potest horum cognitio: quippe quae et exigunt obsequium fidei, et spem nostram dirigunt, et ad diligendum Deum nos incitant, et ad bona opera peragenda nos excitant, elationem reprimunt, nostram nobis aperiunt infirmitatem, et unde nobis auxilium veniat, ostendunt: denique quomodo se Deus coli velit ab homine, manifestant; quod profecto et summae necessitatis est (1), et sine revelatione sciri non potest; quis enim cognoscet sensum Domini, quomodo se coli velit ab hominibus, nisi ipse Dei spiritus, qui solus scrutatur profunda Dei, hominibus revelaverit (2)?

§. XXXIII.

Caveant porro Deistae, ne si velint dispicere, quid possit sola ratio in invenienda Religione, rationem hominum horum temporum consulant, quae cum sit revelatione illustrata, sic putare potest se ad veritatem detegendam facillime potuisse pervenire, quomodo postquam Christophorus Columbus Americae viam patefecit, etiam rudioribus

---

(1) Vid. sup. §. III.

(2) Vid. I. Cor. II. 10. 11. Vid., et S. Th. L. I. contr. Gent. cap. 5.

bus visum est opus illud facillimum; aut quomodo qui telescopii ope Satellites Jovis perfpexit, idem nudis oculis se eos detegere potuisse imaginatur. Ad Ethnicos ergo sapientes attendant; et videant, quam absurdas ut plurimum, sibique adversantes de Deo, de Providentia, de Religione opiniones docuerint: quaedam autem pauca, quae in eorum libris occurrunt, revelationi conformia, ex eorum consuetudine, quibus revelata fuerant, didicisse intelligant. Convertant se ad nationes omnes; et deprehendent, si quidem velint veritatem intueri, quod sicut populorum omnium consensus de religioso cultu Divinae Majestati impendendo evincit, ex ipsa rationis vi inditam unicuique de necessitate Religionis persuasionem: ita eorumdem discrepantia in usu Religionis ostendit, huic accipiendae, multoque minus statuendae, ingenium vel excellens non sufficere, nisi Deus ipse revelaverit.

§. XXXIV.

Alio etiam ex capite Revelationis necessitatem aggrediuntur Deistae, asserendo, a nobis, qui eam propugnamus, male consuli, et Divinae bonitati, et hominum felicitati, dum legem naturalem omnibus hominibus inditam ratione plane digna Deo, ut nemo eam possit ignorare, arbitramur minime sufficere homini ad justitiam, et beatitudinem: atque ad haec requiri volumus revelationem; quae neque semper fuit, nec tota simul prodiit, nec ad omnes, sed ad unam tantum gentem principio facta dicitur; et de cujus veritate nonnisi moralem certitudinem possumus habere. Verum inanes

hae sunt querelae hominum evanescentium in cogitationibus suis. Itaque aequissimum fuit, naturalem legem in cordibus hominum insculptam manere, ut ad eam attendens homo intelligeret, teneri se exquirere voluntatem Domini sui, cui sibi serviendum esse ratione ipsa cognosceret (1); tum etiam ut, quoniam erant futurae plures hominum, et daemonum seductiones, quibus turpia, crudelia, injusta, insana sub Religionis obtentu praeciperentur, intelligeret veram Revelationem esse non posse, nisi quae culpat cupiditatem, et praecipit caritatem, atque ita ab errore, et superstitione caveret: tum denique ut sua homini demonstraretur infirmitas, dum experimento discit, se non id facere quod faciendum esse cognoscit, et cui adimplendo pares se vires habere inflatus elatione putaverat. Sic ergo lex naturalis usque adeo Revelationem non excludit, ut ejus imo necessitatem homini voce naturae insinuet.

§. XXXV.

Aliquam porro revelationem ab exordio generis humani factam fuisse, in illis eisdem litteris nostris legimus, quas adversus nos proferunt Deistae, tamquam testes denegatae veteribus Revelationis. In eis enim non tacetur sive praeceptum primo homini datum de non comedendo de ligno scientiae boni et mali (2), cujus observatione suam Deo obedientiam homo exhiberet, ejusque in omnia do-

(1) Vid. sup. §. XXVI.
(2) Genes. II. 17.

dominium agnosceret (1): sive post praevaricationem facta homini promissio futuri Mediatoris (2), ne de venia et salute aut ipse, aut ejus posteri desperarent : sive imperata Abrahae Circumcisio (3), et promissio eidem (4), ac filio ejus Isaac (5) facta de gentibus omnibus benedicendis in ipsius semine, quod (6) est Christus. Et haec quidem consignata postmodum fuere litteris, quae solis, Judaeis sunt commendatae, quibus et alia plura revelata sunt, et data praecepta, et instituta sacrificia, et ritus praescripti.

§. XXXVI.

Neque tamen a vera Religione exclusae sunt caetarae gentes; sed eis non talia praecepta data sunt, qualia populo Judaeorum. Populus revera, qui proprie populus Dei diceretur, nullus alius fuit, nisi populus Israel. Homines autem quosdam non terrena, sed spirituali societate ad veros Israelitas, hoc est veros Dei cultores pertinentes in aliis gentibus fuisse, si quisquam quasi nostrarum litterarum testimonium praetexens negaret, facile convinceretur de sancto, et mirabili viro Job, qui nec indigena, nec proselytus, idest advena populi Israel fuit; sed ex gente Idumaea genus du-

 cens,

(1) Vid. S. Aug. de C. D. L. XIV. c. 15. n. 1. et Lib. de Nat. Boni c. 35.
(2) Genes. III. 15.
(3) Genes. XVIII. 12. 14.
(4) Genes. XII. 3; XVIII. 18., XXII. 18.
(5) Genes. XXVI. 4.
(6) Galat. III. 16.

cens, ibi ortus, ibidem mortuus est: qui tamen divino sic laudatur eloquio in libro ejus, quem pro sui merito Israelitae in auctoritatem canonicam receperunt, ut quod ad justitiam, pietatemque attinet nullus ei homo suorum temporum coaequetur. Et cur non credamus, etiam in caeteris huc, atque illuc gentibus alias alios fuisse, quamvis eos in sacris Hebraeorum libris non legamus? cum potius credendum sit, divinitus fuisse provisum, ut iste commemoraretur, quo intelligeremus etiam per alias gentes esse potuisse, qui secundum Deum vixerint, eique placuerint (1).

§. XXXVII.

Isti porro, qui jam ex tempore Abrahae, nec de stirpe carnis ejus, nec ex populo Israel, nec ex adventitia in eodem populo societate pie tamen Deum coluerunt, et juste vixerunt, non utique fuerunt, sine aliqua Dei revelatione, quamvis divina eloquia, solis Judaeis scripto tradita fuerint. Ut enim in iisdem litteris legimus (2), multa sunt, quae antiquis Patribus Deus revelavit, simulque mandavit, nota ea facere filiis suis, ut cognosceret generatio altera, utque filii, qui nascerentur et exurgerent, narrarent ea filiis suis; quo fieret, ut ponerent in Deo spem suam, et non oblivìscerentur operum Dei, et mandata ejus exquirerent. Hoc autem praeceptum a Sanctissimis illis Patriarchis religiosissime fuisse adimpletum, prae-

(1) Vid. S. Aug. de Civit. Dei L. XVIII. c. 47., et Epist. CII. al. XLIX. ad Deogratias n. 15.
(2) Psal. LXXVII. 6. 7.

praeterquam quod dubitare nos minime sinit illorum pietas, accepimus testatum a Rege Davide eorum nepote, qui, quamvis per multas generationes ab Abraham dissitus, ea, quae Patribus Dominus mandaverat annuncianda, non fuisse occultata a filiis eorum, proprio experimento doctus asseruit (1). Sed et ille idem, quem mox commemoravimus, Jobus et Redemptorem prophetavit (2), et fidem suam de futura Resurrectione carnis expressit (3); quae quidem sine relevatione scire non potuit: unde, quoniam hanc non memorat sibi divinitus factam, aequum est, ut agnoscamus a majoribus accepisse.

§. XXXVIII.

Absit autem, ut hinc quisquam existimet, Deum id unum exigere ab homine, ut scilicet in eum credat, ipsumque colat per observantiam legis naturalis: caetera autem ejusdem hominis arbitrio permisisse. Quod enim Deus instituta primitus sacra, ipso inspirante, etiam post legem Judaeis datam, valere voluerit ad rectum sui cultum iis, qui non erant ex genere Abraham; iis vero, qui ad hujus stirpem pertinebant, nova praecepta addiderit, novos ritus servandos injunxerit, nova Sacramenta, et Sacrificia celebranda praescripserit; non hoc fuit novam Religionem condere; nec enim alia salus proposita aut fides variata: sed fuit congrua omnino dispensatio, ut in eo popu-

 lo,

(1) Ibid. v. 3., et 4.
(2) Job. XIX. 25.
(3) Ibid. vv. 25. 26. 27.

lo, ex quo erat Christus nasciturus, ea Sacra celebrarentur, quae Mediatorem ipsum prophetarent apertius, et apud caeteras gentes illa manerent, quibus idem quidem Christus, obscurius tamen praesignabatur (1).

§. XXXIX.

Nec est, cur obmurmurent adversus Deum, quia relevatio successive, et gradatim facta sit. Dominus est Deus donorum suorum, inter quae dona non dubium quin accenseri debeat revelatio, quam proinde sine ullius injuria, vel acceptione personarum potuit cum voluit, quibus voluit, et ea mensura, qua voluit, dispensare. Neque ordinem manifestandi homini consilia sua, suamque voluntatem ab homine accipere debet Deus, sed a se ipso. Nec in damnum hominis cedit, si successive, et gradatim, prout ipse judicat, credenda manifestet Deus, et agenda praescribat. Tenetur quippe homo id credere, et agere, quod sibi Deus per revelationem proposuerit credendum, et agendum: ad ea vero credenda, et agenda, quae nondum revelata sunt, non tenetur; sed tantummodo paratus esse debet animo ad ea credenda, et agenda quaecumque Deus voluerit praecipere (2).

§. XL.

(1) Vid. S. Aug. Epist. CII. al. XLIX. ad Deogratias n. 12., et 21., = Vid. et S. Th. 1. 2. q. 91. a 5. ad 2.

(2) Vid. S. Th. 1. 2. q. 91. a 5. in c. et ad 1. et 2.

§. XL.

Cum autem ad certitudinem Revelationis nos provocant, eo nos vocant, ut omnes illorum argumentationes compendio refellamus. Si enim constat, revera Deum aliqua hominibus revelâsse; sileat oportet omnis humana superbia, quae contra revelationem dimicat sub specie rationis. In sacris Cristianorum litteris, quae veteris, novique Testamenti libris absolvuntur, divina revelatio continetur. Fidem suam Scripturae hujusmodi, quae in canone catholicae Ecclesiae recitantur, rebus ipsis probant, dum per temporum successiones haec impleri, et effici ostendunt, quae tanto ante, quam fierent, praenuntiarunt; eaque vere magna, atque divina; quae quoniam vel a Dei voluntate, vel ab hominum pendent arbitrio, non utique, nisi Deo revelante, cognosci, aut praedici potuerunt: cujusmodi sunt adventus Christi, et in eum fides populorum, superstitioso daemonum cultu, qui tunc apud gentes vigebat, eliminato (1).

§. XLI.

Neque verendum, ne quisquam fortasse dicat, Christianos, posteaquam ista per mundum fieri coeperunt, has litteras conscripsisse. Nam ad libros quod attinet veteris Testamenti, Judaeorum populus late sparsus, lateque notus suo etiam in Christianos odio, dubitare neminem sinit, non a nobis tamquam de rerum eventu commonitis ista

(1) Vid. S. Aug. de C. D. L. V. c. 32. n. 3.

esse conscripta; sed olim in illo regno praedicta, atque servata; nunc autem manifestata, et impleta (1). Scripta etiam, quae sub nomine Apostolorum legimus, non fuisse successu temporis exarata, cum iam impleta erant, quae de fide omnium gentium in Christum in illis praenuntiabantur, sed usque a primis illis temporibus prodiisse, cum adhuc infidelibus plenus erat orbis terrarum, et ubique Christiano nomini contradicebatur, constans omnium ab eo tempore saeculorum ad nos usque traditio docet, cui etiam adstipulantur, qui nostra dogmata labefactare quoquomodo conati sunt, sive eadem scripta reprehendendo: sive falsis interpretationibus corrumpendo, sive ea, cum rejicere, et improbare vellent, commemorando; atque ita eorum vetustati adtestando.

§. XLII.

Earumdem Scripturarum, et Religionis, quae in his praescribitur, veritatem miracula confirmant. Neque vero refellendos suscipimus aut Spinozam negantem ipsam etiam possibilitatem miraculorum; aut Baelium miraculis, quae in historia Evangelica narrantur, auctoritatem abrogantem, et vera miracula nequaquam fuisse contendentem: aut Rousseau auctorem Epistolarum e montibus apud Helvetios, scribentem, miracula numquam edidisse Christum in suae Missionis argumentum, imo ede-

(1) Vid. S. August. L.VIII. cont. Faustum c. 10.

edere recusasse; ea vero quae miracula videbantur conspicientibus, nihil nisi res inusitatas fuisse; aut Woolsthonum asserentem figurate esse accipienda de sanatione ab aegritudinibus animae, quae de curatione a morbis corporis referuntur. Egregie id praestiterunt praeter veteres Patrum complures, qui adversus vel ethnicos, vel haereticos necessitatem habuerunt vindicare mira Jesu Christi, et Apostolorum ejus gesta, viri clarissimi Augustinus Calmet, Blasius Paschalius, aliique plures, et recentiori aetate Liberatus Fassonius in Regio nunc Thaurinensi Athenaeo Theologiae Professor. Ad alia nos properantes breviori utimur, atque expeditiori ad rem nostram ratiocinio. Praemisso nimirum, quod neque rudes tantum, et ignobiles Christianam Religionem Apostolorum praedicatione susceperint, ut, post Celsum, Porphyrium, Julianum refutatos ab Eusebio (1) et S. Hieronimo (2), calumniatur Baelius: neque pauci, ut commentus est David Chartesonus, quem confutavit Castus Innocens Ansaldus in praedicto Regio Taurinensi Athenaeo Theologiae Professor, Deistas urgemus cum S. Augustino (3), ut aut fateantur vera fuisse illa signa, quibus ideo factis ut mundus in Christum crederet fidem adstruit totius mundi ad Christianam Religionem conversio; aut si per Apostolos, ut eis crederetur praedicantibus fidem Christi, talia miracula facta esse non credunt,

(1) Lib. III. et IV. Hist. Eccles.
(2) Praefat. in Catal. Ecclesiast. Script.
(3) De Civit. D. L. XXII. cap. 5.

dunt, intueantur miraculum longe majus, quod nequidquam obsistentibus Philosophis, furentibus Idolorum Sacerdotibus, saevientibus saeculi potestatibus, Christi doctrinam non blandientem vitiis, sed juge iis bellum indicentem, et proponentem mysteria prorsus sublimia, nec rudiorum tantum, verum etiam sapientium captum longe excedentia, ad praedicationem hominum numero paucorum, conditione contemptibilium, nullaque saecularium litterarum laude florentium, orbis terrarum, sine ullis miraculis tam longe lateque suscepit.

§. XLIII.

Sed jam adversus illos agendum nobis est, qui duplicem veram Religionem distinguunt; naturalem, et revelatam; ac duplicem cohaerenter beatitudinem; naturalem unam, in quam se extendat naturalis Religio; et supernaturalem sitam in visione Dei, in quam, velut in finem tendat Religio revelata; quam etiam a naturali in hoc distare ajunt, quod hujus officia sola ratione intelligantur, utpote naturalis legis comprehensa limitibus solaque perficiantur voluntate; illius vero praecepta divinae Sapientiae intus suadentis participatione, et extra loquentis revelatione innotescant.

§. XLIV.

Ac principio respondendum est quaestioni, quam movent isti, et in qua putant magnum causae suae inesse praesidium. Quid nimirum, inquiunt, iis erit, qui bona fide, atque invincibili revelationis ignorantia nullam aliam religionem, praeter natu-

talem

ralem amplectuntur, et ad ejus normam suas exigunt actiones? Si Deus AEgyptiis obstetricibus propter impensam in parvulos Hebraeorum pietatem (1), et veteribus Romanis propter aliqua moralium virtutum officia (2) temporalem mercedem rependit, licet verum Deum neque agnoscerent, neque colerent, sed diis pluribus sacra facerent; eum ne damnabit, qui recta intentione ipsum colendi, omnia praecepta legis naturalis impleverit? Aut cui bono vel legem naturalem hominum animis insculpserit Deus, aut coelos novos, et terram novam creaturus est (3), quae Apostolus Petrus (4) scribit nos expectare secundum ejus promissa (5), nisi observantibus legem naturalem debeatur naturalis beatitudo?

§. XLV.

Talia objicientibus unum hoc reponimus, quod quaestioni huic solvendae sufficere arbitramur, Deum nempe, ut docet Angelicus (6), homini in exemplum adducto vel per internam inspirationem revelaturum ea, quae sunt credenda, et agenda, vel missurum ad eum aliquem sive angelum, sive hominem fidei praeconem; sicut misit ad Cornelium

(1) Exodi I. 20. 21.
(2) Vid. S. Aug. Epist. CXXXVIII. al V. ad Marcellin. n. 17., et de Civit. D. L. V. c. 12.
(3) Apoc. XXI. 1.
(4) II. Petri III. 13.
(5) Isai. LXV. 17. et LXXI. 22.
(6) De Verit. q. 14. a 11., et 1. 2. q. ult. a 3. in c. et alibi.

lium Centurionem (1); adeo ut salus verae Religionis, per quam solam salus vera, veraciterque promittitur, nulli unquam defuerit, qui dignus fuit, et cui defuit, dignus non fuerit (2). Quae tamen dicta volumus sine praejudicio verae, hoc est gratuitae Gratiae, et latentis consilii Dei, aliarumque causarum, de quibus infra opportunius disseremus; quomodo dicta sunt a S. Augustino (3) et a S. Thoma (4).

§. XLVI.

Cui bono inserviat lex naturalis, paulo ante diximus (5). In illa autem conflagratione extremae diei, elementorum corruptibilium qualitates, quae corporibus nostris corruptibilibus congruebant, ardendo penitus interibunt; atque ipsa substantia eas qualitates habebit, quae corporibus immortalibus mirabili mutatione conveniant; ut scilicet mundus in melius innovatus apte accomodetur hominibus etiam carne in melius innovatis (6). Sed hos novos coelos, hanc novam terram docet Apostolus Petrus expectari a nobis, qui per revelationem habemus divinas promissiones. Frustra igitur natura-

(1) Act. X. 3. et seq.

(2) Vid. S. Aug. in Lib. sex quaest. c. Paganos sive Epist. CII. al XLIX. ad Deogratias n. 15.

(3) Vid. L. II. Retract. c. 31., et de Praedest. SS. n. 19. et 20.

(4) Vid. 1. 2. q. 109. a 6. ad 2., et q. 112. a 3. in c.

(5) Vid. sup. §. XXXIV.

(6) Vid. S. Aug. de D. C. L. XX. c. 16.

ralem beatitudinem in iis Scripturarum oraculis videntur sibi videre, qui naturalem religionem conantur afferre.

§. XLVII.

Sed jam ad naturalismum refutandum propius accedamus. Et siquidem penitius ipsum inspiciamus, inveniemus, non aliud esse hujusmodi religionis systema, quam statum Naturae, ut vocant, purae, non praecise ut possibilem, sed ut realem, & existentem creditum. Hinc nihil frequentius in scriptis Tindalii, Collinii, Voltairii, aliorumque Naturalismi Sectatorum occurrit, quam hominem talem esse, qualis esse debet; nec fuisse conveniens servando societatis humanae systemati, quod homo melior conderetur, quam nunc est. Videt autem quilibet, haec esse pura, putaque dogmata Pelagianorum sub aliarum vocum involucro. A Pelagianis etiam fontibus derivarunt Naturalistae distinctionem duplicis beatitudinis, supernaturalis scilicet, quae non daretur nisi renatis ex aqua, et Spiritu Sancto, et naturalis, quam illi vitae aeternae nomine designabant. Neque a Pelagianis semitis declinant in iis, quae docent de excusatione ignorantiae, de Gratia ad facilius observanda mandata, de justis ex sola lege naturae, de perfectione justitiae hominis in hac vita; in statuendo denique, ut de Pelagianis demonstrat Natalis Alexander (1), vago, et effraeni probabilita-

(1) In Hist. Eccl. Saec. V. c. 3. art. 3. §. ult.

tatum usu tantorum malorum, atque incredulitatis etiam fonte.

§. XLVIII.

Ad haec si advertisset nuperrimus quidam nostrae Catholicae communionis Theologus, non utique in eam venisset sententiam ut doceret, Religionem naturalem ab Dei idea promanantem, se ad futurae vitae statum extendere; praeceptis Religionis naturalis, ita detegendis, et observandis, ut naturalem beatitudinem, ipsius naturalis Religionis finem, assequi homines possint, rationis, et voluntatis vires pares esse, neque post Adae peccatum insufficientes evasisse; eos, qui bona fide atque invincibili ignorantia nullam aliam Religionem, praeter naturalem, amplectuntur, et ad ejus normam suas exigunt actiones, minime damnari: imo naturalem illis deberi beatitudinem; neminem autem supernaturali felicitate potiri, qui supernaturali Religioni nomen haud dederit: haec porro optime salvari, si, ut par est, discrimen inter naturalem, supernaturalemque beatitudinem attente observemus: his limitibus inter se distare naturalem, et supernaturalem Religionem, quod illa ad naturalis beatitudinis finem tendit; haec ad supernaralis: illius officia sola intelliguntur ratione, solaque perficiuntur voluntate, hujus vero praecepta divinae Sapientiae intus suadentis participatione, et extra loquentis revelatione innotescunt; Supernaturalem denique Religionem quoad revelationem, et gratiam utilem esse ad naturalis religionis finem, in naturali beatitudine situm, obtinendum.

§. XLIX.

§. XLIX.

Nimirum de Naturalismi propugnatoribus illud merito usurpari potest, quod olim de Pelagianis, a quibus ostenditur derivatus, scripserunt ad S. Innocentium I. Patres Concilii Carthaginensis (1); quod scilicet *fundamenta Christianae fidei conantur evertere*; aut quod de iisdem affirmarunt per idem tempus eidem SS. Pontifici Patres Synodi Milevitanae (2); *totum quod Christiani sumus, nituntur evertere*. Nam si per naturam justitia; ergo gratis mortuus est Christus (3).

§. L.

Quod si dixerint, illud hominibus beneficium contulisse Christum, quod ipsos evexerit ad statum supernaturalem, et capaces effecerit obtinendae intuitivae visionis Divinae Essentiae, siquidem velint Religioni revelatae nomen dare; cujus etiam praeceptis observandis, sicut oportet, supernaturalis Gratiae conferat adjutorium; attendant nihilominus, quomodo Christi Crucem evacuent. Etsi enim in hoc eorum systemate, sine Christo ad beatitudinem supernaturalem pervenire non possumus; ad naturalem tamen omnino possumus: si praeterea adjutorium Gratiae supernaturalis promeruit nobis Christus ad sublimia revelatae Religionis

(1) Epist. inter Augustinianas CLXXV. al XC. n. 6.

(2) Epist. inter Augustinianas CLXXVI. al XCII. n. 3.

(3) Vid. Galat. II. 21. et S. Aug. L. IV. c. Julianum n. 17. L. de Grat. et Lib. Arb. n. 25. et alibi.

gionis praecepta implenda; verum est etiam, quod nulla extaret obligatio illa servandi, nisi ipse venisset: si demum tam magna praemia sine Christo expectanda nobis non essent; at neque tam gravia forent timenda supplicia. Quid ergo magni nobis praestitit Christus, si naturalem, ut isti vocant, Religionem sectando; habere possemus, ordinis quidem naturatis, sed veram tamen justitiam, veram beatitudinis felicitatem? Ipsi certe Naturalismi professores tam parvi pendunt beneficium Crucis Christi, ut putent se sibi, suaeque felicitati melius consulere, si in eo statu maneant, in quo, ut ipsi quidem existimant, virtutibus ordinis naturalis beatitudo naturalis respondet, ac naturalibus vitiis aequa proportione poena quaedam levis, eaque temporalis, quam si amplectendo Religionem revelatam sperare quidem possent felicitatem ampliorem; sic tamen, ut simul se committerent periculo incurrendi sempiternum supplicium: praesertim cum ad observanda legis naturalis praecepta pares existiment arbitrii sui vires; ad illa vero revelatae Religionis divinum adjutorium requiri fateantur, illudque non in nostra, sed in Dei potestate positum esse intelligant.

§. LI.

Nos itaque, ut Naturalismum funditus evertamus, demonstrandum nobis assumimus, statum Naturae purae usque adeo non existere, in quo Naturalismi systema situm est; ut ne possibilis quidem sit. Cnm autem possibilitatem status naturae purae defenderint, hactenus etiam plures nostrae

strae communionis Theologi; quos sane, quoniam Naturalismum semper execrati sunt, ut impietatem, aequitas postulat, ut a Naturalistis omnino secernamus; idcirco antequam adversus Naturalistas rem conficiamus, ne quisquam illorum Theologorum auctoritate permotus, incautus Naturalistis patrocinetur, ipsorumque errorem imprudens foveat; ostendimus, idem penitus esse, statum naturae purae fingere possibilem, ac propugnare existentem: ut quoniam nobiscum consentiunt adversus Naturalistas, hominem esse nunc in statu naturae lapsae, non in eo, qui appellatur purae naturae; nobiscum pariter consentiant in rejicienda hypothesi status purae naturae.

§. LII.

Novum hoc illis fortasse videbitur, & paradoxo simile. Sed mirari desinent, si ad notionem status purae naturae paulo diligentius attenderint. Est ergo status naturae purae ille, in quo nasceretur homo sine gratia, & sine peccato, obnoxius morti, caeterisque hujus vitae aerumnis, nec non ignorantiae, concupiscentiae, aliisque animi perturbationibus: omnia haec essent primordia naturae humanae. Sic institutus homo ordinatus fuisset, tamquam in finem, ad beatitudinem ordinis naturalis, positam, ut ajunt, in abstracta contemplatione Dei ex rebus existentibus hausta, in qua voluntas hominis penitus conquiesceret; nec ullam poenam experiretur ex carentia visionis divinae essentiae, quia ad hanc utpote supernaturalem naturalis ap-

petitus minime tenderet. Praescripta in eo statu ad beatitudinem assequendam homini officia intra naturae ordinem comprehenderentur, quippe quae naturali fini corresponderent; eaque proinde et cognitione assequi, et opere implere homo posset sola naturae facultate, atque ita promereri beatitudinem naturalem eidem propositam. Ea porro officia ab homine praestita haberent quidem rationem virtutis, et essent actus morales vere boni, atque in suo genere perfecti; multo tamen inferiores virtutibus statui supernaturali convenientibus. Sic et vitia atque peccata longe minoris gravitatis in eo statu fuissent; ac propterea sicut virtutum officiis aliud ab eo, quod nos expectamus, praemium retribueretur; ita diversi ordinis, multoque levius supplicium peccatis rependeretur.

§. LIII.

Duobus ergo constituitur status purae naturae: positivo, et negativo. Positivum, quod ille status complectitur, est finis naturalis homini praestitutus, atque eidem proportione respondentia virtutum officia, praecepta, praemia, supplicia; negativum, quod in eo statu concipitur, est negatio finis nobilioris, scilicet supernaturalis, ejusdemque ordinis gratiae, virtutum etc. Jam vero cum homo ex statu purae naturae evehi concipitur ad statum supernaturalem, ei quidem adjici quidpiam intelligitur, quód antea non habebat; simul autem intelligitur superesse in eodem quidquid antea habebat. Ex quo enim humana natura ad sublimiorem finem, et excellen-

tio-

tiora transferatur officia, relationem illam minime amittit, quam habet cum fine sibi naturaliter debito, et cum virtutum officiis eidem fini proportionatis (1).

§. LIV.

Cum hisce principiis admissis a Theologis propugnatoribus possibilitatis status purae naturae conferatur homo qualis modo nascitur; atque evidens fiet; statum illum ex possibilitate in existentiam transferri. Nimirum in utroque statu obnoxius est homo morti, aegritudinibus, ignorantiae, concupiscentiae, caeterisque miseriis, et perturbationibus sive animi, sive corporis: in utroque statu destituitur gratia, et donis ordinis supernaturalis, et virtutum habitibus. Hucusque differentia nulla. Nascitur quidem nunc obstrictus originali peccato; omni autem peccato careret in statu purae naturae. Ita plane. Verumtamen discrimen hoc, quod videtur omnino magnum, si pensetur juxta principia illorum, qui statum purae naturae possibilem adstruunt, penitus evanescit. Consulantur enim omnes Catholicorum de peccato originali sententiae. Si singularem illam excipias Ambrosii Catharini, et Alberti Pighii statuentium esse ipsum peccatum Adae, a quo posteri omnes denominantur

(1) Vid. Dissert. V. C. Petri Tamburini De summa Catholicae de Gratia Christi doctrinae praestantia, utilitate, ac necessitate. Edit. typis Brixiensibus Joannis Mariae Rizzardi an. 1771.

tur praevaricatores; in qua opinione peccatum illud in sola imputatione consistit, quae nullam sane in natura mutationem, aut intrinsecam differentiam inducit: hac, inquàm, excepta singulari opinione, caussae quam agimus prorsus aliena; ceteri omnes originale peccatum vel in concupiscentia, tamquam materia, et privatione originalis justitiae, tamquam forma, constituunt cum Angelico (1); vel in sola privatione justitiae originalis reponunt. At concupiscentia fuisset etiam in statu naturae purae: sola ergo privatio originalis justitiae, et supernaturalium habituum ad rem, de qua agimus, debet attendi (2). Nempe homo lapsus ab homine in naturae purae statu non differt, nisi quomodo spoliatus a nudo: quae differentia profecto nec actualis est, neqne intrinseca, absoluta, realis.

§. LV.

Sed et reliqua si intueamur, paria sunt omnia. Si enim a natura hominis, prout conderetur in statu naturae purae, non differt natura hominis lapsi: si absque gratia, et virtutum habitibus eas habuisset homo vires in statu purae naturae, ut de ignorantia, et de concupiscentia victor officia naturalium virtutum et intelligere, et perficere pos-

(1) 1. 2. q. 82. a. 3. in c.
(2) Vid. Molin. q. 14. Concord. a 13. dis. 3., Suar. t. 6. tract. 5. dis. 9. sect. 2., Beccan. in Summ. Tract. 2. cap. 9. q. 6. n. 4., Vasquez in 1. 2. dis. 132. cap. 7., Rhodes t. 1. disp. 2. q. 2. sect. 3. §. 2. Vid. et cit. Dissert. Tamburini cap. 8. n. 3.

posset; easdem cur modo non habeat ad operandum bonum ordinis naturalis ? Nec evidentem adeo consecutionem denegant patroni possibilitatis status purae naturae; quin imo ultra fatentur, pares esse omnino in utroque statu hominis vires; nec minus habere nunc hominem naturalis perfectionis, quam in statu naturae purae habuisset (1). Per has itaque vires poterit homo praestare naturalium virtutum officia, et habere naturalis justitiae perfectionem; non secus ac in statu purae naturae. Denique homo, ut modo nascitur, si naturaliter appeteret beatitudinem supernaturalem, quae sita est in visione Divinae essentiae, possibilitas status naturae purae defendi non posset, ut egregie observavit Suaresius (2): quare juxta sententiam illorum Theologorum, qui status hujusmodi possibilitatem propugnant, siquidem sibi cohaerere velint, nascitur nunc homo cum innato appetitu beatitudinis, non supernaturalis, sed naturalis; qualem scilicet habuisset in statu purae naturae.

§. LVI.

Quae jam hinc profluant consectaria nemo non videt. Cur enim non existat inter Regnum Coelorum, et supplicium aeternum medius quidam alicubi quietis, et naturalis felicitatis locus; si hujus appetitus est cuilibet homini naturaliter inditus ab Auctore naturae ? Cur eo non recipiantur

 quot-

(1) Vid. laud. Dissert. c. 13. n. 3.
(2) Prolegom. IV. de Grat. cap. 1.

quotquot vel in uteris matrum nondum nati moriuntur, vel jam nati ante usum rationis decedunt cum originalis privatione justitiae? Cur itidem non eo recipiantur, qui sine fide Christi, et Sacramento ejus legem naturalem impleverint, quam propriis tantum viribus possunt observare? Cur non etiam Idololatrae, et Mahumedani, qui de Christo nihil audierint, si juxta dictamen rationis vixerint? Cur praeterea non ii omnes, qui ad supernaturalem statum evecti non fuerunt per Christi gratiam, etiamsi flagitiosissime vixerint, post temporalem aliquam poenam, ad eam tandem naturalem beatitudinem admittentur? Servari quippe debet inter virtutes, et peccata, inter justitiam, et injustitiam, inter meritum, et demeritum, inter praemium, et supplicium aequa proportio; et ideo peccata ab homine ad finem supernaturalis beatitudinis minime elevato perpetrata contra legem naturalem non merebuntur poenam aeternam, illorum tantum destinatam peccatis, quibus, si pie vixissent, paratum erat supernaturalis beatitudinis praemium. Denique cur non licebit homini decernere, se in puris naturalibus manere velle, et elevationem ad statum supernaturalem recusare? Utetur is jure suo, nec ab ordine deviabit, quem ei Auctor naturae praescripsit. Et cur non ei pariter licebit simulare revelatam Religionem in quacumque voluerit secta, ubi id rebus suis expedire perspexerit, ejusdemque mysteriis initiari; firmiter tamen in animo statuens, se uni naturali Religioni velle adhaerere?

Qui-

Quinimo si per baptismum in infantili aetate susceptum ad statum supernaturalem elevatum se esse cognoverit, cur jam adultus fini huic renunciare non poterit? Ac demum cur non hoc idem ei licebit, etiam postquam in illam elevationem ad statum supernaturalem propriae voluntatis actu consenserit? Manet certe adhuc ille appetitus naturalis beatitudinis a Deo auctore naturae inditus: manet proinde, nec per elevationem ad statum supernaturalem amittitur, relatio, quam habet homo cum fine sibi naturaliter debito, et cum virtutum officiis eidem fini proportionatis (1).

§. LVII.

Ex his porro consectariis alia sponte sua fluunt, quae praecipua Christianae fidei mysteria funditus evertunt. Nimirum sequitur, neminem eorum, qui naturali felicitate potientur, adfuturum extremo judicio, ubi duas tantum futuras partes Evangelium aperte commemorat (2): ipsorum proinde Redemptorem nullo modo esse Christum: pro quibus enim pretium dedit, eos debet judicare (3): eosdem non audituros vocem Filii Dei, quia ad ipsum nullo modo pertinent: neque adeo resurrecturos: unde et Resurrectionem Carnis irrident Naturalistae; neque eam futuram fuisse in statu naturae purae quisquam, quod sciamus, asseruit.

(1) Vid. sup. §. LIII.
(2) Matth. XXV. vv. 33. 34. 41. 46.
(3) Vid. S. Aug. Enarrat. in Ps. XCV. n. 15.

§. LVIII.

In Ethicam vero mirum quot opinionum portenta inde irruant. Singula recensere et operosum nimis est, et nimis prolixum: Sufficiat fontes indicare, nec omnes, sed praecipuos. Eorum unus est, quod cum inter primordia naturae enumeretur concupiscentia, oportet, ut, quidquid in oppositum clamet Apostolus Joannes (1), ipsa sit a Patre. Erit ergo bona, ac proinde, dummodo absit immoderatio, desideriis ejus obedire, bonum erit; repugnare, resistere, malum erit. Quod si dixerint, evenire quidem ipsam naturali necessitate ex compositione naturae humanae, esse tamen morbum, atque defectum; illud saltem stabit inconcussum, non esse malum ejus cupiditatibus non reluctari, sed obsequi: quod enim naturali evenit necessitate ex conditione naturae si malum est, malum est physicum, non morale: nam et prurigo morbus est, neque tamen qui ei non resistit, sed cedit, peccat (2). Alter, idemque latius se se in omnes pene humanas actiones diffundens est, quod si finis, quem naturali instinctu ab auctore naturae impresso appetimus, sit mere naturalis; proculdubio naturae bonis continetur. Bonum autem naturae aliud est honestum, aliud utile, aliud delectabile. Homo igitur etiam in presenti statu, quandoquidem idem in eo finis

per-

(1) Epist. I. cap. II. v. 16.

(2) Vid. cit. Dissert. Tamburini c. 13. n. 9. et Tournely de Grat. Christi q. 2. a. 3. pag. 49. et seq. Edit. Venetae an. 1728.

perseverat, non solum bonum honestum habebit se dignum; sed etiam bonum utile, et bonum delectabile. Quodlibet ergo ex his tribus bonis sectetur, vituperari non poterit; id enim sectabitur, quod ei natura praestituit. Non igitur erit illicitum proprer solam voluptatem re aliqua frui: licite poterit suis actibus frui naturalis appetitus; et concurrente bono honesto cum bono utili, vel delectabili, poterit quilibet agere secundum bonum utile, vel delectabile, praetermisso bono honesto, praesertim si hoc appareat minus bonum, aut minus alliciat (1). Ex hisce fontibus quam innumeri, et quam impuri moralis doctrinae rivuli deriventur, pronum est intelligere.

§. LIX.

Inter Theologos, qui possibilitatem purae naturae propuguarunt, quaedam ex his consectariis et vidisse, et probasse nemo ignorat. Norunt enim omnes, quot ex illorum numero extiterint, qui docuerint: originale peccatum in sola spoliatione donorum supernaturalium situm esse, atque in eorum amissione consistere totam depravationem naturae per Adae peccatum inductam, nec aliter differre hominem in statu naturae lapsae ab homine in statu naturae purae, nisi ut homo spoliatus ab homine nudo (2): per hoc Adae peccatum nullam in facultatibus naturalibus diminutionem ho-

(1) Vid. cit. Dissert. Tambur. eodem cap. 13. n. 8.
(2) Vid. Rhodes Tom. I. Theolog. Schol. disput. 2. de peccat. q. 2. sect. 3. §. 2.

hominem accepisse (1) : Parvulos sine baptismo hinc decedentes modo quidem detineri in Limbo usque ad extremi judicii diem, postmodum autem terram hanc habitaturos, ut qui medii sint inter gloriam, ac supplicium; et super beatitudinem naturalem, qua quotidie proficientes in cognitione operum Dei, et substantiarum separatarum, habituros visitationes Angelicas, ut appareat magnitudo, et excellentia felicitatis naturalis (2), in qua nullam percipient tristitiam ex carentia visionis Dei (3). Norunt pariter omnes quot ex hujusmodi Theologis Ethnicorum Philosophorum, virtutes extulerint, et Christianis aequarint; quot pariter veterum Sinensium Religionis, atque Ethicae praedicaverint puritatem: norunt, ab iisdem profectam doctrinam peccati philosophici, et restrictionum mentalium. Quas denique invexerint in Ethicam Christianam opiniones plane monstruosas videri potest in Decretis Alexandri VII. die 14. Septembris 1665., et 18. Martii 1666., quibus XLV. corruptae moralis propositiones damnantur; itemque Innocentii XI. die 2. Martii 1679., quo consimiles aliae LXV. prae-

(1) Vid. Molin. in Concord. q. 14. a 13. dis. 3., Vasquez in 1. 2. d. 132. cap. 7., Suarez tom. 6. tract. 5. de vitiis, et peccatis dis. 9. sect. 2., Rhodes loc. cit., Beccan. in Summa Theol. Schol. tract. 2. cap. 9. q. 6. n. 4. Maldonat. tract. 1. de lib. arbitr. part. 4.

(2) Vid. Salmeron. Comment. in Epist. ad Roman. et Molin. in Concord. q. 23. a. 4., et 5. dis. 1. memb. 9.

(3) Vid. Beccan. loc. sup. cit. cap. 18.

praescribuntur, et in Censura Cleri Gallicani in Conventu generali Sangermanensi an. 1700. (1).

LX.

Non omnes tamen Theologi, qui hypothesim naturae purae admittunt, probant ea consectaria. Quin imo in iis aut omnibus, aut plerisque rejiciendis nobiscum consentiunt. Hanc nimirum controversiam, quoniam in ea de statu mere possibili agitur, in earum numerum retulerunt, quae nullam cum Religione connexionem haberent. Nondum satis evoluta erat ea humanae mentis fictio: nondum erat perspectum, quantum in universam Theologiam dogmatum, et morum posset influere. Neque vero novum est, non continuo patefieri doctrinae alicujus cum aliis principiis connexionem; neque statim perspici omnes consecutiones, quae inde derivantur; sed pleniorem hanc notitiam processu temporis, ac diuturnitate studii, et laboris acquiri. Pium ergo illorum studium, quod ad hujusmodi absurditates refutandas attulerunt, plurimum commendamus: ut autem sententiam de possibilitate status purae naturae abiiciant, eos, post expositas illius principii legitimas consecutiones, alloquimur Magni Augustini verbis (2): Haec vos quidem non sentitis: sed haec sequuntur illa, quae sentitis: mutate ergo antecedentia, si vultis cavere sequentia.

§. LXI.

(1) Vid. Natal. Alex. Theol. Mor. in append. II. Tom. 2.

(2) Lib. II. de adulter. conjug. n. 3.

LXI.

Quis ergo non miretur audaciam anonymi auctoris libelli, cui titulus *Bajanismus redivivus in scriptis Fulgentii Bellelii, et Jo. Laurentii Berti*, dum scribit (1), hac una propositione, *Impossibilis est status purae naturae*, contineri totam doctrinam articulorum circa naturalem primi hominis conditionem damnatorum in Bulla S. Pii V. *Ex omnibus afflictionibus* die 1. Octobris an. 1567? Sed illi respondit pro merito, qui unus in vivis supererat ex iis, quibus tam gravem, tamque injuriosam criminationem Anonymus Censor obiecerat; scilicet vir Cl. Joannes Laurentius Berti Augustinianae Familiae, et Pisanae Academiae decus egregium, in altera dissertatione Augustiani systematis vindicati. Nos interim satis habemus, si judicio illius Censoris judicium opponamus praestantissimi ex Ordine Minorum Theologi Francisci Macedo, qui licet impossibilitatem status purae naturae non probet; eidem tamen nullam censuram inuri posse ex Bulla S. Pii V., et Gregorii XIII. aperte testatur; productoque in eam rem consimili judicio Clarissimi ex Ordine Praedicatorum Theologi Joannis Baptistae Goneti (2), impossibilitatem hujusmodi ceteroquin rejicientis, concludit, sententiae affirmanti, impossibilem esse statum purae naturae, li-

(1) Part. I. art. 3. §. 2. n. 9.
(2) Vid. Gonet. tract. 9. tom. de Gratia dist. 1. art. 3.

licere in Theologico pulvere currere, nec turpari (1).

LXII.

Itaque, quod uno velut ictu & hypothesim status naturae purae, & Naturalismum penitus evertit, asserimus cum S. Augustino (2), in rebus a Deo factis tam magnum bonum esse naturam rationalem, ut nullum sit bonum, quo beata sit, nisi Deus. Deducimus id in primis ex natura ipsa beatitudinis, cujus accessione homo fit beatus. Non enim nisi accessione melioris, et praestantioris boni potest effici beata rationalis creatura: ac per hoc, nisi bono summo, quod est Deus (3). Id quod etiam demonstrat ratio finis. Ibi quippe dicitur esse finis rationalis creaturae, ubi jam quo excurrat, et quo referatur, non invenitur: ibi requies est appetendi. Eo igitur fruendo quisque beatus est, propter quod caetera vult habere: cum illud jam non propter aliud, sed propter seipsum diligatur. Solum autem bonum summum tale est, ut jam non propter aliud, sed propter seipsum et diligatur, et appetatur: caetera propter ipsum diligenda, et appetenda sunt, quia caeteris omnibus ipsum est melius, sublimius, excellentius. Non est porro terminus relationis, nisi ubi ad id ven-

(1) Vid. Macedo. Tom. II. Collat. in 2. sentent. col. 8. dis. 1. sect. 1.
(2) Lib. de Natura Boni cap. 7.
(3) Vid. S. August. Enarr: III. in Ps. XXXII. n. 15. et 16.

ventum fuerit, quo melius dari non potest (1). Restat igitur, ut beata vita inveniatur, cum id, quod est hominis optimum, et amatur, et habetur. Quid est enim aliud, quod dicimus *Frui*; nisi praesto habere quod diligis? Nec quisquam beatus est, qui non fruitur eo, quod est hominis optimum; quia si appetit, quod adipisci non potest, cruciatur: nec quisquam, qui eo fruitur, non est beatus (2). Denique rationalem creaturam naturaliter appetere beatitudinem supernaturalem ostendimus ex ipsa capacitate, quam habet ejusdem possidendae. Nisi enim talis inesset rationali creaturae capacitas, elevari ad statum beatitudinis supernaturalis non posset. Jam vero appetitus naturalis rationalis creaturae ejusdem capacitati commensuratur: eidem proinde explendo nihil sufficere potest, quod sit minus Deo intuitive viso (3). Merito proinde S. Augustinus (4) appetitum beatitudinis in homine vocat naturalem; merito S. Thomas (5) inane esse ait desiderium naturale, nisi Deum homo videre potest.

LXIII.

Hic tamen finis, quem rationalis creatura natu-

---

(1) Vid. S. Aug. Epist. 118. al. LVI. ad Dioscorum n. 13.

(2) Vid. S. Aug. de Moribus Eccles. n. 4.

(3) Vid. S. Aug. L. XIII. Confess. cap. 8., et S. Thom. 1. p. q. 12. a. 1. in c., et 1. 2. q. 2. a 8. in c.

(4) Lib. IV. Oper. imper. cap. 67.

(5) In III. contra Gentes cap. 50. et I. p. q. 12. a. 1. in c.

turaliter appetit, non potest solis naturae viribus ab ipsa obtineri: sed indiget supernaturalis Gratiae adjutorio, ut bona sit, et eo perduci mereatur, ubi beata sit (1); et supernaturali praeterea lumine gloriae, ut Deum intuitive videat, et videndo perfruatur, et beata sit. Sed et praeterea si attendamus, quanta extiterit de ipsa beatitudine inter Philosophos varietas, atque diversitas opinionum: si ulterius attendamus, ex iis, qui eam humanis argumentationibus invenire conati sunt, vix paucos ad indagandam solius animae immortalitatem pervenire potuisse; cui tamen animae beatam vitam non invenerunt stabilem, idest veram; ad miserias eam quippe vitae hujus etiam post beatitudinem redire dixerunt; et qui eorum de hac sententia erubuerunt, et animam purgatam in sempiterna beatitudine sine corpore collocandam putaverunt, talia de mundi retrorsus aeternitate sensisse, ut hanc de anima sententiam suam ipsi redarguant (2); si ad haec inquam attendamus, facile intelligemus, nos ad hanc beatitudinem, quam naturaliter appetimus, cognoscendam, nisi supernaturali Fidei lumine juvemur, pervenire non posse.

LXIV.

Praeclare autem observat Bellarminus (3), neque aut novum esse, aut hominis natura indignum; ut

(1) Vid. S. Th. 1. p. q. 62. a. 2. in c.

(2) Vid. S. Aug. L. XIII. de Trinit. n. 7. et 12. et Lib. XII. de C. D. cap. 20.

(3) Lib. de Gratia primi hominis cap. 7.

nc naturaliter appetat, quod nonnisi supernaturali auxilio consequi possit. Non inquam novum; siquidem animae hominum solutae corporibus naturalem habent ordinem, et propensionem ad corpora, quorum formae fuerunt; nec tamen iterum conjungi corporibus sine supernaturali auxilio poterunt. Neqne natura humana indignum: sed contra potius ad maximam ejus pertinent dignitatem, quod ad subliniorem finem condita sit, quam ut eum solis suis viribus attingere possit. Hinc est, quod sententia, quam propugnamus de naturali appetitu finis supernaturalis in rationali creatura, non solum Theologorum plerisque probata est, ut ostendit Laurentius Berti (1), utque consentiunt ii quoque, qui contrariam opinionem propugnant(2); sed et hi ipsi fatentur utrumque simul esse posse, scilicet beatitudinem et naturalem esse quoad appetitum, et supernaturalem quoad consecutionem (3).

§. LXV.

Frustra igitur inter damnationem, Regnumque Coelorum fingitur quietis vel felicitatis cujuslibet, atque ubilibet quasi medius locus (4). Medii hujus loci existentiam non agnovit Catholica Ecclesia-

(1) Augustin. system. vindic. Dissert. 2. c. 1. §. 6. et c. 3. §. 6. tum initio, tnm n. 3.

(2) Vid. Molin. in 1. p. q. 12. a. 1. dis. 3. et Suarez Proleg. 4. de Gratia cap. 1. n. 6.

(3) Vid. Julium Caesarem Recupitum L. 6. de Verit. q. 1. pag. 454. et seq.

(4) Vide S. Aug. L. I. de Anima et ejus origine n.11.

clesia : nec certe talis erat sinus Abrahae , ubi Lazarus consolabatur (1) ; aut Paradisus , quem confitenti latroni Christus promisit (2) , qua die ipse Christus secundum animam descendit ad inferos. Aut enim in illo Abrahae sinu , in illo Paradiso , aderat Deus secundum beatificam praesentiam essentiae suae (3); aut quietis locus erat ille propter securitatem beatitudinis supernaturalis quantocius obtinendae ; quae securitas si abfuisset , ut abest in loco medio , de quo nunc agimus ; profecto neque re , neque spe beati fuissent illi justi. Medii hujus loci existentiam confinxit haeresis Pelagiana , ut eo mitteret non regeneratos in Christo parvulos , quos nec dicere poterat futuros in Regno Coelorum propter Dominicam sententiam (4) ab eo regno excludentem quotquot ex aqua , et Spiritu Sancto non renascuntur ; nec dicere poterat futuros in damnatione , dum eos nullum putabat habere originale peccatum (5) . Sed medii hujusmodi loci existentiam aperte exclusit Dominus in Evangelio (6). Ipsius vero loci ,

 seu

(1) Lucae XVI. 23. 25.
(2) Lucae XXIII. 43.
(3) Vid. S. Aug. Epist. CLXIV. al XCIX. ad Evodiam n. 7.
(4) Joan. III. 5.
(5) Vid. cit. Lib. I. de anima , et ejus origine eodem n. 11.
(6) Matth. XXV. 32. 33. 34. 41. 46. Vid. et S. August. Ser. CCXCIV. de Baptis. parvul. al XIV. de Verb. Apost. n. 3. et Lib. I. Op. imp. c. 50.

seu status medii possibilitas exploditur ex iis, quae supra statuimus de objecto, in quod fertur naturalis creaturae rationalis appetitus (1). Nimirum Bono, quo adepto rationalis creatura beata est, eo amisso misera est (2): nam qui non habet quod amat, et adipisci non potest, quod appetit, cruciatur; quod non contingit sine miseria, quae profecto simul esse cum beatitudine non potest (3). Non est igitur alia beatitudo rationali creaturae, nisi supernaturalis, ad quam fertur naturali appetitu. Ubicumque fuerit, si hanc nec habet, nec habere potest, non beata, sed misera est.

LXVI.

Cnm ergo rationalis creatura ad fruitionem Dei naturaliter tendat tamquam in finem, debuit profecto media habere ad eum finem consequendum; alioqui miserior, et abjectior rebus omnibus esset illa natura, quae tamen sic bona est, et tamen excellit caeteris ut (4) ei noxium sit non esse cum Deo. Haec porro media a se ipsa habere non potest, cum debeant esse proportionata fini, quem appetit; hic autem supernaturalis sit. Pertinebat ergo ad sapientiam, et bonitatem Dei, ut creaturam condens, cui beata vita alia esse non potest, nisi ipse Deus, media etiam

(1) Vid. sup. §. LXII.
(2) Vid. S. August. de Civit. Dei Lib. XII. cap. 1. n. 2.
(3) Vid. S. Aug. de moribus Eccles. n 4.
(4) Vid. S. August. de C. D. L. XII. c. 1. n. 3.

etiam suppeteret, sine quibus assequi non posset finem suum, a quo nequit sine vitio suo excidere, et abalienari. Neque enim (1) sub Deo justo miser esse quisquam, nisi mereatur, potest: qui autem a beatitudine excidit, continuo miser est.

LXVII.

Cum vitio autem, et peccato non potuisse condi rationalem creaturam, manifesta res est. Non enim vitiorum, sed naturarum auctor, et creator est Deus (2); eique vitium displicet, quia detrahit, vel minuit, quod ipsi Deo placet in natura, quam bonam condiderat. Peccatum quoque caussam habet deficientem, non efficientem: et defectus est mutabilis voluntatis creatae, non opificium Creatoris, et proprietas naturae (3). Non itaque creari potuit cum mala voluntate. Porro voluntas aut justitiam diligit, et bona est; aut si omnino non diligit, non bona est: et quis dubitet dicere, voluntatem nullo modo diligentem justitiam non solum esse malam, sed etiam pessimam voluntatem (4)? Si ergo producta fuisset rationalis creatura sine bona voluntate, quid fuisset, nisi mala (5)? Aut si propterea non mala, quia

(1) Vid. S. Aug. Lib. I. Oper. imperf. c. 39.
(2) Vid. S. Aug. Lib. I. Oper. imperf. c. 16.
(3) Vid. S. August. de C. D. Lib. XII. c. 7. et S. Th. 1. 2. q. 75. a. 1. in c.
(4) Vid. S. Aug. L. de Nat. & Gr. n. 30. et S. Th. 1. 2. q. 18. a. 9. q. 19. a 1. in c. et q. 20. a. 1.
(5) Vid. S. Aug. de C. D. L. XII. c. 9.

nec mala ei fuisset voluntas, dum nondum bonam accepisset, a qua deficeret; dicatur, qua voluntate potuisset Conditori suo per dilectionem adhaerere, ad quod utique naturali lege teneretur? Non utique nisi bona. Hanc autem unde haberet, nisi hanc in creatura sua operatus fuisset Deus, simul condens naturam, et largiens gratiam? Neque enim voluntatem bonam a se ipsa habere potest creatura, quae se ipsam facere non potest meliorem, quam eam ille fecerit, quo nemo melius quidquam facit (1). Quare sine bona voluntate, in qua perseverare posset, si vellet, credendum est rationalem creaturam a Deo condi minime potuisse (2).

§. LXVIII.

Frustra autem aliqui ex iis, quibus ista non placent, parant invidiam in nos conflare ex articulis XXI., et XXVII. inter LXXVI. damnatos per Bullam S. Pii V.: *Ex omnibus afflictionibus*: in quorum primo statuitur, quod: *Humanae naturae sublimitas, et exaltatio in consortium Divinae naturae debita fuit integritati primae conditionis, et proinde naturalis est, non supernaturalis*: cui consonat propositio XXXV. inter CI. damnatas in Constitutione: *Unigenitus*: a Clemente XI.: *Gratia Adami est sequela creationis, et erat debita naturae sanae, et integrae*: in altero autem asseritur, quod: *In-*

(1) Ibid.
(2) Vid. ibid.

Integritas primae conditionis non fuit indebita humanae naturae exaltatio, sed naturalis ejus conditio. Frustra inquam. Nempe clarum est tum ex ipsis verbis proscriptorum articulorum, tum ex communi propemodum sententia Theologorum, qui de iisdem propositionibus, eorumque sensu scripserunt, in quibus etiam plures recensentur patroni possibilitatis status purae naturae (1) Gratiam tum habitualem, per quam proprie rationalis creatura exaltatur in consortium Divinae naturae, tum actualem, per quam in bona voluntate perseverare possit, appellari debitam integritati primae conditionis; idest, naturae sanae, et integrae; atque ideo naturalem; non supernaturalem; sequelam creationis; naturalem humanae naturae conditionem: quasi nempe Gratia vel sit natura, aut naturae pars, aut ex principiis naturae profluat; vel quasi requiratur Gratia, ut sit natura. At nos quamlibet Gratiam, et quaecumque Gratiae adjutoria pro statu naturae integrae supernaturalia esse nedum asserimus, sed et probamus ex proportione, quam habere debent cum fine rationalis creaturae, utpote qui sit supernaturalis, licet naturalis sit ejus appetitus (2): quod autem Deus creaturam rationalem nec potuerit creare sine bona voluntate, nec ei non impertiri media ad finem, in quem tendit, obti-

(1) Vid. Berti in system. Aug. vindic. Diss. II. c. 1. §§. 1. et 4.

(2) Vid. sup. §§. LXVI. et LXVII.

nendum, necessaria; non id repetimus ex conditione naturae, sed ex bonitate, sapientia, justitia ect. Creatoris (1). Porro aliud est dicere, Deum, quod bonam voluntatem condat in rationali creatura, eique conferat adjutoria ad finem obtinendum, debere id naturae a se conditae; quemadmodum adseritur in damnatis propositionibus; aliud est dicere, quod id debeat bonitati suae, justitiae suae etc. quod nos contendimus, reprobato penitus praecedenti damnatarum propositionum sensu.

LXIX.

Non solum autem oportuit, naturam hominis taliter institui, ut et haberet illud, quod sibi ex principiis naturalibus debebatur, et aliquid ultra, per quod facile in finem perveniret; sed praeterea quia ultimo fini amore inhaerere non poterat, nec ad ipsum tenendum pervenire, nisi per supernam partem suam, quae est mens, et intellectus seu ratio, in qua imago Dei insignita est; ideo, ut illa pars in Deum tenderet, oportuit, ut ipsi subjectae essent vires inferiores (2); Neque ex hoc tantum capite repugnat condi potuisse hominem cum concupiscentia; verum etiam, quia ipsa non est de se affectio naturalis, et innocens, ut censebat Julianus Pelagianus (3): sed imo est con-

(1) Vid. §§. LXVI. et LXVII. cit.
(2) Vid. S. Th. in 2. sent. dist.3. q. 1. a 1.
(3) Apud S. Aug. L. I. Oper. imperf. c. 71.

contra naturam: quia vis concupiscibilis, in quantum est humana, habere debet, ut tendat in suum objectum secundum regimen rationis (1); et Divina providentia supposita, quae singulis perfectionibus congrua perfectibilia coaptavit, naturalis ordo postulat, ut superior natura ad hoc conjungatur inferiori, ut ei dominetur; nec in corpore possit esse aliquid contrarium animae, per quam corpus vivit, neque ratio a sensitivis potentiis impediatur, sed magis eis dominetur (2). Ex hoc ipso autem quod contra naturam est, mala est, et ideo nunc in hac carne frenanda, et bona consuetudine minuenda, in aeterna vero vita omni ex parte sananda (3). Non enim hoc nomine intelligimus appetitum sensitivum sed ejus impetum, quo sollicitatur homo ad quiescendum in re creata, sive ut S. Augustinus loquitur (4); inclinationem animi ad fruendum inferioribus. Aliud est enim vis sentiendi, aliud vitium concupiscendi: sicut dolor carnis non ipse sensus est, licet, nisi sensus adsit, sentiri non possit: unde et Dominus in Evangelio (5) non eum dicit moechatum in corde, qui viderit mulierem, sed eum utique qui viderit ad concupiscendum (6). Hanc non esse a

 Pa-

(1) Vid. S. Th. in 2. sent. d. 30. q 1. art. 1.
(2) Vid. S. Th. in IV. c. Gentes cap. 52. vid. et 1. 2. q 85. a 3. ad 3.
(3) Vid. S. Aug. Op. imp. L. III. c. 67.
(4) Lib. I. de Doctr. Christ. n. 24.
(5) Matth. V. 28.
(6) Vid. S. Aug. Op. imp. Lib. IV. c. 29. et 69.

Patre, a quo tamen est omne bonum, Apostolus Joannes diserte testatur (1). Cum hac igitur concupiscentia hominem non potuit creare Deus, quia haec ab ipso non est, et ideo utique, quia vitium est; Dei autem perfecta sunt opera (2).

§. LXX.

Sed nec parvum malum est, per quod homo non percipit (3) quae sunt Spiritus Dei (4), et parvulis in Christo, qui utique templum sunt Spiritus Sancti, stultitia sunt, quae sunt Spiritus Dei. De ignorantia recti loquimur, quae profecto impedit, ne voluntas moveatur ad faciendum bonum, vel ab opere malo abstinendum. Hinc est, quod sicut concupiscentia inde etiam dignoscitur esse vitium, quia caritate, quae donum Dei est, magis magisque fervente minuitur; et hoc agendum est in hac vita, ut minuatur, ita ignorantia minuitur veritate magis magisque lucente, quod pariter donum Dei est (5). Itaque neque cum hac ignorantia recti produci potuit creatura rationalis a Deo, qui creaturam suam cum vitio condere non potest (6).

(1) I. Joan. II. 16.
(2) Deuteron. XXXII. 4. Vid. et supra §. LXVII.
(3) I. Cor. II. 14.
(4) Vid. S. Aug. L. VI. c. Julian. n. 49.
(5) Vid. ibid. n. 50.
(6) Vid. sup. §. LXVII.

§. LXXI.

Justum patiter erat, ut imago Dei nullo fuscata, et obsoleta peccato, tali insereretur corpori, quamvis de terrena materia creato, atque formato, ut ei de ligno vitae subministrata vivendi stabilitas permaneret; ac viveret interim per animam viventem, quam nulla ab illo necessitas separet; atque inde propter obedientiam custoditam, ad vivificantem spiritum perveniret: ita ut non ei subtraheretur haec vita minor, ubi et mori, ac non mori posset, sed illa amplior adderetur, ubi viveret sine ullius ligni beneficio, morique non posset (1). Cum enim anima corpori naturaliter uniatur; est sane contra naturam animae absque corpore esse (2). Deus ergo in costitutione humanae naturae aliquid corpori humano attribuit supra id, quod ei ex naturalibus principiis debebatur; scilicet incorruptibilitatem quamdam, per quam convenienter suae formae coaptaretur: ut sicut animae vita perpetua est: ita corpus per animam posset perpetuo vivere; et talis quidem incorruptibilitas; etiamsi non esset naturalis quantum ad activum principium, erat tamen quodammodo naturalis ex ordine ad finem; ut scilicet materia proportionaretur suae naturali formae, quae est finis materiae (3). Cum itaque produci non potuerit rationalis natura, ac per hoc nec humana, aut sine

(1) S. Aug. Op. imp. Lib. VI. c. 39.
(2) Vid. S. Th. in IV. c. Gentes cap. 79.
(3) S. Th. cit. L. IV. c. Gentes c. 81.

sine bona voluntate, aut cum vitio, et peccato (1); atque adeo nisi innocens: justum autem sit ex S. Augustino, ut innocens imago Dei uniretur corpori necessitati moriendi minime obnoxio: atque ex S. Thoma Divinam sapientiam, et bonitatem maxime deceat, ne anima innocens pateretur id, quod est contra naturam ejus, imo potius ut corpus convenienter animae coaptaretur, eique per incorruptilitatem proportionaretur; evidens est, repugnare divinae justitiae, sapientiae, et bonitati, ut homo produceretur obnoxius necessitati moriendi, quomodo ponitur in statu purae naturae.

§. LXXII.

Hinc quoniam grave illud miseriarum jugam, quod est super filios Adae a die nativitatis eorum, usque in diem sepulturae, naturam sequitur hominis non mortalis tantum, qui mori possit, sed morituri, qui mori debeat, atque ad mortem ipsum hominem quodammodo urget; non poterat tam gravi jugo, nisi peccati merito, subjici humana natura a Deo justo, sub quo nemo, nisi peccati merito, miser est.

§. LXXIII.

Ad haec firmanda, quae de hominis peccato non contaminati immunitate a morte, atque a miseriis, quas modo patimur, hactenus statuta sunt (2), argumentum desumi posse arbitramur, ex quo Dei Filius cum carnem suscepisset, unde et esurire, et

(1) Vid. sup. §. LXVII.
(2) Vid. sup. §§. LXXI. et LXXII.

et sitire, et fatigari, et dolere, et mori posset dictus sit (1) missus in similitudinem carnis peccati; ipsaque carnis ejus mortalitas peccati nomine fuerit indigitata (2). Cur enim caro quae non erat caro peccati, appellata sit similitudo carnis peccati, si homo condi potuit a Deo et sine peccato, et tamen moriendi necessitati subjectus (3)? Aut cur ipsa carnis mortalitas dicta sit peccatum? nisi quia solet et similitudo capere nomen ejus rei, cujus est similitudo; quomodo, si pictam, vel sculptam hominis similitudinem ostendas, et quaeras, quid sit; respondetur, homo (4). Usque adeo verum est, non nisi ex peccato factum esse, quod homo moriatur; ut etiam ipsa mors, propterea quod peccato facta sit, peccatum appellata fuerit (5); adeo ut hoc sibi deberet Deus, a morte, ac per hoc a caeteris etiam miseriis, quas modo patimur morituri immunem servare hominem, quamdiu fuisset sine peccato.

§. LXXIV.

Ergo ne, inquies, Deus non potuisset ab initio talem

---

(1) Rom. VIII. 3.

(2) Ibid. et II. Cor. V. 21. Vid. et S. Aug. L. XIV. c. Faustum. c. 3. et 5. L. 1. c. Maximinum c. 2. et alibi.

(3) Vid. S. Aug. Lib. I. de pecc. merit. n. 68.

(4) Vid. S. Aug. Serm. CXXXIV. ad XLVIII. de Verb. Dom. n. 5.

(5) Vid. S. Aug. L. XIV. c. Faustum c. 3.

talem creare hominem, qualis nunc nascitur (1)? Aut falsa erit illorum Doctorum sententia, qui censent, primum hominem potuisse a Deo creari, et institui sine justitia naturali (2)? Aut denique dicetur, naturali lege constitutum fuisse homini, ut si in obedientia perseveraret, ad eam vitam pertransiret, in qua mori non posset (3); adeo ut immortalitas primi hominis non fuerit Gratiae beneficium, sed naturalis conditio (4)? Vitrea argumenta! Lucent quasi vanitate, sed franguntur veritate. Longo prorsus intervallo a damnato sensu distamus. Non enim dicimus, Deum non potuisse creare hominem cum concupiscentia rebelli, quod illa sit formaliter peccatum, juxta quem sensum damnatum fuisse articulum LIII. existimat cum Eminentissimo Norisio, aliisque Theologis Cl. Berti (5); sed quia contra naturam est; et licet peccatum ipsa non sit; est tamen ad peccatum inclinans, et quidem vehementius, quam quilibet alius habitus vitiosus ab homine contractus, et cum vitium sit, non potest Deum habere auctorem (6). Neque dicimus idcirco Deum non potuisse creare hominem sine bona voluntate, ut modo nascitur, quia ipsa bona voluntas homini fu-

(1) Vid. Art. LIII. ex LXXVI. damnatis a S. Pio V. Bulla *Ex omnibus afflictionibus*.

(2) Vid. Art. LXXVI.

(3) Vid. Art. VI.

(4) Vid. Art. LXXV.

(5) In addit. Lib. XII. cap. 1.

(6) Vid. sup. §. LXIX.

futura esset ex principiis naturae, non ex dono gratiae; quo itidem sensu damnatum articulum illum, cohaerenter scilicet ad articulum XXVII. jure ac merito asserunt laudati Auctores (1); sed bonam ipsam voluntatem nonnisi ex dono supernaturalis gratiae repetimus (2). Neque asserimus, aut justitiam conditi hominis fuisse naturalem, quod innuit articulus LXXVI. cohaerenter scilicet ad articulos XXI. et XXVII. aut immortalitatem primi hominis fuisse naturali lege constitutam, et naturalem conditionem, ut asseritur articulis VI. et LXXV. Sed imo nullam agnoscimus justitiam, nisi supernaturalem, et immortalitatem repetimus non ex conditione naturae, sed ex divini muneris largitate (3).

§. LXXV.

Quomodo autem frustra ex praedictorum articulorum damnatione contra sententiam, quam defendimus de impossibilitate status purae naturae praejudicatum conclamant opinionis oppositae Patroni; ita frustra praescriptum volunt, ut olim Massilienses, S. Augustino contra hanc ipsam sententiam de vetustate libri ejus tertii de libero arbitrio (4); quia scilicet ibi scripserit (5), quod etiamsi anima talis esse coeperit, non solum ante pec-

(1) Vid. Berti Diss. II. Aug. system. vindic. c. 1. §. 9. n. 9.
(2) Vid. sup. §§. LXVII. et LXVIII.
(3) Vid. sup. §§. LXVIII. LXXI. et LXXII.
(4) Vid. Lib. de Dono Persev. n. 30.
(5) Num. 56.

peccatum, sed ante omnem vitam suam, qualis alia post vitam culpabilem facta est; attamen non parvum bonum haberet, unde Creatori suo gratias ageret; non enim mediocria bona sunt, non solum quod anima est, qua natura jam omne corpus praecedit; sed etiam quod facultatem habet, ut, adjuvante Creatore, se ipsam excolat, ac pio studio possit omnes acquirere, et capere virtutes, per quas et a difficultate cruciante, et ab ignorantia caecante liberetur; nec parum est accepisse naturale judicium, quo sapientiam praeponat errori, et quietem difficultati: ut ad haec non nascendo, sed studendo perveniat. Frustra inquam. Non enim propterea credi oportet S. Doctorem dubitasse unquam, quod ignorantia, et difficultas, sine quibus nullus hominum nascitur, non sint, nec esse possint natura instituti hominis, sed poena damnati; quia contra quos ejus dirigebatur intentio, sic eidem visi sunt refellendi, ut sive ignorantia, et difficultas essent hominis primordia naturalia, sive potius, quod veritas habet, non essent nisi poena peccati, nullo modo tamen, quam Manichaeorum error inducit, duarum naturarum boni scilicet, et mali permixtio crederetur (1); quomodo licet, ut ostenderet gratiam Dei non secundum merita nostra dari, secundum utrumque sensum hoc defendere maluerit, et Catholicorum scilicet, qui obstrictos originali peccato parvulos dicimus, et

Pe-

(1) Vid. Lib. I. Retract. cap. 9. n. 2. et Lib. de Don. Persev. n. 27. 29. 30.

Pelagianorum, qui originale negant esse peccatum; non ideo tamen ipsi erat ambiguum, habere parvulos, quod eis dimittat, qui salvum facit populum suum a peccatis eorum (1).

§. LXXVI.

Qui itaque ad hypothesim naturae purae firmandam loca quaedam proferunt ex libris de libero arbitrio, quos S. Doctor ad confutandos Manichaeos conscripsit, nihil penitus agunt. Illud potius eos ad recedendum ab opinione, quam tuentur, adducere deberet, quod loca illa eadem avide arripuerint Pelagiani, et Semipelagiani contra catholicam veritatem de gratia Christi, de originali peccato; de parvulorum non regeneratorum damnatione: unde coactus fuit S. Doctor et in Retractationibus (2), et in libro de dono perseverantiae (3) mentem suam apertius declarare; adtestari omnibus (4), se id temere; in iisdem quoque libris suis de libero arbitrio satis evidenter expressum (5), quod ignorantia, et difficultas non sint natura instituti hominis, sed poena damnati, ac denique, ad amputandas omnes cavillationes monere contradicentes (6), quod etsi in libris illis de libero arbitrio, quos laicus coeperat, presbyter expli-

---

(1) Vid. cit. n. 29. de Don. Persev.
(2) Lib. I. cap. 9. num. 2.
(3) Num. 26. et seq.
(4) Vid. cit. Lib. de Don. Persev. n. 29.
(5) Lib. III. n. 51. et 52. Vid. et Lib. I. Retract. cap. 9. n. 5.
(6) Vid. Lib. de Don. Persev. n. 30.

plicuerat, aliud sensisset, quam veritas habet, aut de ipsa saltem veritate dubitasset; nemo tamen esse deberet tam injustus, aut invidus, qui eum proficere prohiberet, ac vellet ipsi vel in pristino errore, vel in pristina dubitatione jugiter esse remanendum. Caeterum, ut optime advertit Laurentius Berti (1), hypothesis, quam in illo opere de libero arbitrio disputandi causa contra Manichaeos S. Doctor assumit, interim (2) differens enodationem quaestionis, non est hypothesis purae naturae: sed alia prorsus; in qua scilicet cum ignorantia, et concupiscentia inhaerente naturaliter, homini adesset, et adjutorium Divinum ad eas vicendas; unde et in Retractationibus (3) quaedam commemorat loca ex eodem illo opere, in quibus Divini adjutorii necessitatem commendaverat.

§. LXXVII.

Ex his porro, quae hactenus statuimus de impossibilitate status purae naturae non solum Naturalismi sistema penitus dejicitur (4); sed plura etiam tum adversus eosdem Naturalistas, tum contra veteres, novosque Pelagianos, quorum errores a Naturalistis instaurantur, evidentissime deducuntur, quae quoniam apud omnes catholicos certissima

(1) Cap. I. Additamenti ad Lib. XII.
(2) Vid. Lib. I. Retract. cap. 9. n. 2. et de Don. Persev. n. 27.
(3) Lib. I. cap. 9. n. 4.
(4) Vid. sup. §§. XLVII. et LI.

sima sunt, veritatem principiorum, cum quibus necessario nexu connectuntur, luculenter confirmant. Nonnulla praeterea inde inferuntur, quae licet salva fidei, et unitatis compage consueverint a Theologis in utramqne partem disputari, quod nondum accesserit definitivum Ecclesiae judicium; attamen multo magis conformia esse Scripturis, et Patribus arbitramur; eoque titulo eadem cum viris clarissimis propugnamus.

§. LXXVIII.

Principio itaque intelligitur, qualis a Deo conditus fuerit primus Homo. Deus nimirum, qui creavit omnia bona valde, fecit hominem rectum (1), hoc est, voluntatis bonae (2); non prius condens naturam, qua homo esset, ac deinde tribuens bonam voluntatem, qua rectus esset; sicut quidam opinati sunt, non recte intelligentes illlud Apostoli (3), ubi adhibet testimonium de Genesi (4), *factus est primus homo in animam viventem*; quo putant demonstrari, animalem factum prius hominem, non corpus hominis solum; quod etiam aliquando putavit S. Augustinus (5); cum tamen Apostolus ad hoc adhibuerit illud testimonium, ut probaret, esse corpus animale; ut

F postea

(1) Ecclesiast. VII. 30.
(2) Vid. S. Aug. Lib. de Corrept., et Grat. n. 32., et S. Th. 1. 2. q. 19. a. 9. in c.
(3) I. Cor. XV. 45.
(4) Gen. II. 7.
(5) Lib. II. de Genes. contr. Manich. n. 10.

postea S. Doctor agnovit (1): sed in ipsa bona voluntate eum creavit, qui in illa fecit eum rectum, simul condens naturam, et largiens gratiam: non secus ac in productione Angelicae creaturae (2). Neque enim decebat, Deum, cujus perfecta sunt opera, creare animam, ut vivificaret corpus, cujus est vita; ipsi autem animae non dare vitam suam. Porro ut vita corporis anima est, sic vita animae Deus (3): nec aliud hic est animae vivere, nisi currere ad fontem vitae, ut in lumine ejus videat lumen (4).

§. LXXIX.

Non eo tamen modo, quo Angelos, condidit Deus homines, ut etiamsi peccassent, mori omnino non possent: sed ita, ut perfunctos obedientiae munere, sine interventu mortis angelica immortalitas, et beata aeternitas sequerentur; inobedientes autem mors plecteret damnatione justitissima (5). Unde constat inter Christianos veraciter catholicam tenentes fidem, non solum eam mortem, quae fit, cum anima deseritur sua vita,

quod

(1) Vid. lib. I. Retract. cap. 10. n. 3.

(2) Vid. S. Aug. de C. D. lib. XII. cap. 9., et de Correp. et Grat. n. 32. vid. et sup. §. LXVII.

(3) Vid. S. Aug. Serm. LXII. al IV. de Verb. Dom. n. 2. et Serm. LXV. al. XIII. inter additos a Parisiensibus n. 5., et Serm. CLVI. al. XIII. de Verb. Apost. n. 6. et alibi.

(4) Vid. S. Aug. Serm. CCXII. al. LXXV. de Diver. n. 1.

(5) Vid. S. Aug. de C. D. lib. XIII. cap. 1.

quod illi Deus est; verum etiam ipsam nobis corporis mortem, non lege naturae, qua nullam mortem homini Deus fecit (1), sed merito inflictam esse peccati; quoniam peccatum vindicans Deus dixit homini, in quo tunc omnes eramus: *Terra es, et in terram ibis* (2); Ipse autem fecerat hominem inexterminabilem (3).

§. LXXX.

Absit pariter, ut in Paradiso, si nemo peccasset, esse potuerit discordia carnis, ac spiritus (4). Revera nonnisi post peccatum de nuditate confusionem habuerunt primi parentes (5): nec ibi erat corpus mortis hujus, cujus corruptibilitate anima gravaretur, et a quo liberari oportet propter legem membrorum repugnantem legi mentis, et captivantem hominem sub lege peccati. In illo beatae pacis loco, in illo Paradiso deliciarum sanctarum, si nemo peccasset, non caro concupiscere potuisset adversus spiritum, nec necesse fuisset spiritui concupiscere adversus carnem: sed felici utriusque concordia natura laetabatur humana (6). Faciebat quippe hoc ordo justitiae, ut quia illorum hominum anima famulum corpus a Domino acce-

 pe-

(1) Sap. I. 13.
(2) Vid. S. Aug. cit. loc. cap. 15.
(3) Sap. II. 23.
(4) Vid. S. Aug. Op. imp. lib. IV. cap. 37.
(5) Gen. III. 7.
(6) Vid. S. Aug. Op. imp. lib. I. cap. 69. Vid. in S. Th. 3. p. q. 61. a. 2. in c., et 1. 2. q. 91. a. 6. et c., et sup. §. LXIX.

perat, sicut ipsa eidem Domino suo, ita illi corpus obediret, atque exhiberet vitae illi congruum sine ulla resistentia famulatum. Hinc et nudi erant, et non confundebantur (1).

§. LXXXI.

Non solum autem homini ante peccatum non fuisset concupiscentia, quae rebellis rationi rectam, quietamque mentem vel ad delictum traheret, vel ad praelium provocaret, et spiritum obedientem Deo, vel peccare, vel pugnare compelleret, ipsa licita inhianter, non obtemperanter appetens, in illicitis autem aut spiritum dejiciens, aut contra spiritum concupiscens (2): sed neque in eo fuisset vitium ignorantiae, ut nesciret, quid velle deberet. Venit haec quippe ex judicio Dei punientis peccatum (3). Neque enim perfecta ignorantia, justitia est, quomodo eam appellabat Julianus Pelagianus (4) quin potius ipsa boni appetendi, malique vitandi ignorantia quamdam patitur homo peccandi necessitatem, quae ut non obsit, donat ille cui dicitur (5); *De necessitatibus meis erue me*; ut adversus eumdem Julianum observat S. Augustinus (6), quae absit ut fuerit in illo innocentiae, et felicitatis loco. Non est igitur ignorantia ejus, quod appetendum, et agendum est, na-

(1) Vid. S. Aug. Lib. 2. de pecc mer. n. 36.
(2) S. Aug. Op. imp. lib. I. cap. 70.
(3) Vid. S. Aug. lib. XXII. c. Faust. c. 78.
(4) Apud S. Aug. lib. III. contr. eudem n. 36.
(5) Psal. XXIV. 17.
(6) Lib. I. Op. imp. cap. 105., et 106.

natura instituti hominis, sed poena damnati; ut quoniam sciens recte non fecit, justissimo Dei judicio amiserit scire, quod rectum sit (1).

§. LXXXII.

Quid ergo timere, aut dolere poterant primi illi homines in tantorum tanta affluentia bonorum: ubi nec mors metuebatur, nec ulla corporis mala valetudo; nec aberat quidquam, quod bona voluntas adipisceretur; nec inerat, quod carnem, animumve hominis feliciter viventis offenderet? Non ibi lassitudo fatigabat otiosos, non somnus premebat invitos: cibus aderat, ne esurirent; potus, ne sitirent; lignum vitae, ne illos senecta dissolveret: nullus ibi aestus, aut frigus: nihil corruptionis in corpore vel ex corpore ullas molestias sensibus ingerebat; et ut nullus intrinsecus morbus, ita nullus ictus metuebatur extrinsecus. Ut autem summa in carne sanitas; ita in anima tota tranquillitas. Amor erat imperturbatus in Deum, atque inter se conjugum fide, et sincera societate viventium: nihil omnino ibi triste, nihil erat inaniter laetum: gaudium verum perpetuabatur ex Deo, in quem flagrabat caritas de corde puro, et conscientia bona, et fide non ficta. Erat et devitatio tranquilla peccati, et sine labore custodia mandati. An enim cupiebant prohibitum lignum ad vescendum contingere, sed mori metue-

 bant,

(1) Vid. S. Aug. lib. III. de Lib. Arbit. n. 52. et lib. de Nat., et Grat. n. 81., et S. Th. 1. p. q. 94. a. 4. in c. et ad 1.

bant; ac per hoc et cupiditas, et metus jam tunc illos homines in illo perturbabat loco? Absit, ut hoc existimemus fuisse, ubi nullum erat omnino peccatum. Neque enim nullum peccatum est; ea, quae lex Dei prohibet, concupiscere, atque ab his abstinere poenae timore, non amore justitiae (1).

§. LXXXIII.

Etsi vero peccatum in solo libero arbitrio hominis erat constitutum; non tamen justitiae retinendae sufficiebat liberum arbitrium, nisi participatione immutabilis boni Divinum ei adjutorium praeberetur. Sicut enim mori est in hominis potestate, cum velit; nemo est enim, qui non se ipsum, ut nihil aliud dicamus, vel non vescendo possit occidere; ad vitam vero tenendam voluntas non satis est, si adjutoria sive alimentorum, sive quorumcumque tutaminum desint: sic homo in Paradiso ad se occidendum relinquendo justitiam idoneus erat per voluntatem; ut autem ab eo teneretur vita justitiae, parum erat velle, nisi ille, qui eum fecerat, adjuvaret (2). Non indigebat quidem gratia liberationis, quam nunc postulant Sancti clamantes ad Deum: *Libera nos a malo*: non indigebat morte Christi: non denique opus habebat eo adjutorio, quod isti implorant, cum dicunt (3): *Video aliam legem in membris meis repu-*

(1) Vid. S. Aug. de C. D. lib. XIV. c. 10. et 26., et S. Th. 1. p. q. 95. a. 2., et 3., et q. 97. a. 1. & 2.

(2) Vid. S. Aug. Ench. cap. 106., & S. Th. 1. 2. q. 109. a. 8. in c. et q. 114. a. 2. ad 1.

(3) Rom. VII. 23.

repugnantem legi mentis meae ; et captivantem me in lege peccati ! infelix ego (1) *homo ! Qui me liberabit de corpore mortis hujus ? Gratia Dei per Jesum Christum* . Ille quippe in bonis erat, quae de bonitate sui Creatoris acceperat, non in malis, a quibus posceret liberari: ille in illis bonis reatum non habebat, ut immaculati agni sanguine absolveretur, ille nulla rixa de se ipso adversus se ipsum tentatus, atque turbatus, in illo beatitudinis loco sua secum pace fruebatur (2). At non propterea talis natura facta erat, ut sine Divino adjutorio in accepta justitia posset perseverare, si vellet (3). Tunc ergo dederat homini Deus bonam voluntatem ; in illa quippe eum fecerat, qui fecerat rectum (4) : dederat et adjutorium, sine quo in ea non posset permanere, si vellet : ut autem vellet in ejus reliquit arbitrio (5).

§. LXXXIV.

Jam vero si natura humana etiamsi in illa integritate, in qua condita est, permaneret, nullo modo se ipsam, Creatore suo non adjuvante, servaret, ut verbis utamur S. Augustini (6), quae

F 4 Syno-

(1) Galat. V. 17.
(2) Vid. S. Aug. de Corrept. et Grat. n. 29.
(3) Vid. S. Aug. ibid. n. 32., et S. Th. 1. 2. q. 109. a. 8. in c.
(4) Vid. sup. §. LXXVIII.
(5) Vid. S. Aug. loc. mox cit., et S. Th. 1. 2. q. 109. a. 10. ad 3.
(6) Epist. CLXXXVI. al CVI. ad Paulin. n. 37.

Synodus Arausicana II. consecravit (1); qui fieri posset, ut homo in puris naturalibus, hoc est in corpore mortis hujus, in tam pugnaci carnis adversus spiritum, et spiritus adversus carnem lucta, plenus ignorantia, obnoxius errori, nihilominus praeceptis Religionis naturalis ita detegendis, et observandis, ut naturalem beatitudinem assequeretur, sufficientes vires haberet a natura, et libero arbitrio? Hoc quoniam admittunt, qui statum purae naturae possibilem adstruunt, videant quomodo suam hanc opinionem cum doctrina S. Augustini, et Synodi Arausicanae II. valeant conciliare. Nam si hominis integri natura cum natura hominis in puris naturalibus comparetur, quantum ad observationem praeceptorum, et fugam peccati; melior longe invenitur conditio hominis sani, quam hominis in puris naturalibus constituti: quin obstet, quod homo innocens debebat operari ob finem supernaturalem consequendum; ad id enim rationem meriti bona illius opera recipiebant a Gratia habituali, quae ab adjutorio actuali distinguitur.

§. LXXXV.

Nos interim ex hoc ipso, quod nec homo innocens posset in accepta justitia perseverare sine adjutorio Dei, sive, ut loquitur Angelicus (2), sine auxilio Dei moventis ad diligendum Deum super omnia, ad mandata implenda, ad non peccan-

(1) Canon. XIX.
(2) 1. 2. q. 109. a. 8. in c.

candum (1), inferimus adversus nuperum Theologum, multo magis post Adae peccatum insufficientes esse hominis vires praeceptis Religionis naturalis (supposito quod eidem locus sit) ita detegendis, et observandis, ut naturalem beatitudinem (si daretur) assequi possit.

§. LXXXVI.

Sed haec obiter; de adjutorio quippe Gratiae Dei paullo post dicemus: reliqua nunc, quae ad primum hominem pertinent, exponamus. Primus itaque homo poterat in bona voluntate, quam acceperat, permanere si vellet, quia non deerat adjutorium per quod posset, et sine quo non posset, perseveranter bonum tenere si vellet (2): atque ita poterat non deficere a bono; ut quoniam nihil ei ex se ipso concupiscentialiter resistebat, in tanta bonitate, et bene agendi facilitate veniales etiam defectus, quos modo omnes propter corruptionem inferioris appetitus nemo vitat, ille omnino caveret (3). Quod si itaque bonum, in quo erat, perseveranter tenuisset, anima Deo subjecta numquam fuisset per mortem a corpore cujus unionem naturaliter appetit, separata (4). Quare in ejus libero arbitrio erat, ut posse non peccare omnino, ita posse non mori. Haec illa li-

(1) Vid. S. Th. cit. q. a. 3. in c. a. 4. in c. et ad 3. a. 8. cit.

(2) Vid. S. Aug. de Corrept. et Grat. n. 32.

(3) Vid. S. Th. 1. 2. q. 109. a. 8. in c.

(4) Vid. S. Th. in IV. contr. Gent. c. 81. sup. cit. §. LXXI. Vid. & 1. p. q. 97. a. 1.

libertas est, quam S. Augustinus jure ac merito appellat magnam (1), quae in Paradiso fuit, habendi scilicet plenam cum immortalitate justitiam (2).

§. LXXXVII.

Vivebat itaque homo in Paradiso futuri sui casus ignarus, tamen ideo beatus, quia et non mori, et miserum non fieri in sua potestate esse sentiebat. Sed invidit homini stanti superbus Angelus, qui de felicitate, in qua conditus fuerat, vitio propriae voluntatis exciderat. Colubrum ergo in Paradiso corporali, ubi cum duobus illis hominibus animalia etiam terrestria subdita, et innoxia versabantur, per quem loqueretur elegit, eoque per suam praesentiam, praestantioremque naturam subjecto, et tamquam instrumento abutens, fallacia sermocinatus est faeminae. Coepit illa sibi placere, et praeceptum, quod Deus tulerat, ut a creatura sua Dominus agnosceretur, ad bonum suum retulit, latum inquiens praeceptum *Ne forte moriamur* (3); quasi tam magnum bonum esset creatura, ut de ejus potius incolumitate sollicitus, quam honorem suum zelans, arcere illam voluisset ab esu pomi tamquam noxii, et non magis obedientiam commendasset in praecepto. Hinc ergo et delectavit, quod, qui per serpentem loquebatur, adjunxit, *Eritis sicut Dii* (4). Seducta est mu-

(1) Lib. de Correpr. et Grat. n. 31.
(2) Lib. I. contra duas Epist. Pelag. n. 5.
(3) Gen. III. 3.
(4) Genes. III. 5.

mulier (1), tulit de fructo vetito, appetens per superbiam esse sibi ipsi principium illius amplioris beatitudinis, quam obtinuisset summo, veroque principio cohaerendo per obedientiam. Dedit, et viro suo. Ipse autem, non quidem seductus, credendo verum quod serpens dixerat (2), sed sociali necessitudine paruit, ab unico nolens consortio dividi nec in communione peccati. Etsi proinde credendo non sunt ambo decepti, peccando tamen ambo sunt capti, et diaboli laqueis irretiti (3).

§. LXXXVIII.

Quia ergo contemptus est Deus, qui creaverat, qui ad suam imaginem fecerat, qui caeteris animantibus praeposuerat, qui in Paradiso constituerat, qui rerum omnium copiam salutisque praestiterat, qui praeceptis nec pluribus, nec grandibus, nec difficilibus oneraverat, sed uno brevissimo; atque levissimo ad obedientiae salubritatem adminiculaverat; quo eam creaturam, cui libera servitus expediret, se esse Dominum commonebat: justa damnatio subsecuta est, talisque damnatio, ut homo qui custodiendo mandatum futurus fuerat etiam carne spiritalis, fieret etiam mente carnalis: et quia sua superbia sibi placuerat, Dei justitia sibi donaretur; nec sic, ut in sua esset omnimoda potestate, sed a se ipso quo-

(1) I. Timoth. II. 14.
(2) Vid. ibid.
(3) Vid. S. Aug. de C. D. lib. XIV. c. 11. n. 2. et c. 13. n. 2.

quoque dissentiens, sub illo, cui peccando consensit; pro libertate quam concupivit, duram, miseramque ageret servitutem: mortuus spiritu volens, et corpore moriturus invitus; desertor aeternae vitae, etiam aeterna, nisi gratia liberaret, morte damnatus (1).

§. LXXXIX.

Irrident haec post Pelagianos Naturalistae: et censent, Adamum moriturum sive peccasset, sive non peccasset, ac talem conditum, qualis modo nascimur: hujusmodi enim, quam nos factam agnovimus damnationem, vel nimiam, vel injustam putant. At metiri profecto nesciunt, quanta fuerit iniquitas in peccando, ubi tanta erat non peccandi facilitas, et id quod praeceptum est nullius erat difficultatis, et supplicii comminationem transgressio habebat expressam. Ubi enim magna est inobedientiae poena proposita, et res a Creatore facilis imperata, quisnam satis explicet, quantum malum sit in re facili non obedire et tantae potestatis, imperio, et tanto terrentis supplicio (2)? Denique in illius peccati poena quid inobedientiae, nisi inobedientia retributa est? Nam quae hominis est alia miseria, nisi adversus eum ipsum inobedientia ejus ipsius; ut quoniam noluit, quod potuit; quod non potest velit? In Paradiso enim, etiamsi non omnia poterat ante peccatum, quid-

quid

(1) S. Aug. de Civit. Dei lib. XIV. c. 15. n. 1.
(2) Vid. S. Aug. de C. D. lib. XIV. c. 15. n. 1. cit.

quid tamen non poterat non volebat : et ideo poterat omnia quae volebat. Nunc vero homo vanitati similis factus est (1). Quam multa enim, quae non potest, vult; dum sibi ipse, idest voluntati ejus ipse animus ejus, eoque inferior caro ejus non obtemperat? Ipso namque invito, et animus plerumque turbatur, et caro dolet, et aegrotat, et veterascit, et moritur; et quidquid aliud patimur, quod non pateremur, inviti, si voluntati nostrae nostra natura omni modo, atque ex omnibus partibus obediret (2).

§. XC.

Per unum igitur hominem peccatum intravit in mundum, et per peccatum mors (3). In Adam quippe fuimus omnes, secundum scilicet seminalem rationem, qui ex illo eramus per carnalem generationem nascituri (4). In illo ergo homine omnes peccaverunt, et ideoetiam in omnes homines mors pertransiit (5); in illo tamquam in praevaricatrice radice vitiatum, et damnatum est quidquid etiam nondum erat natum (6): quomodo et Levi adhuc in lumbis Patris sui Abraham decima-

(1) Psal. CXLIII. 4.
(2) Vid. S. Aug. loc. sup. cit. n. 2.
(3) Rom. V. 12.
(4) Vid. S. Ambros. lib. VII. in Luc. c. 15. et S. Aug. lib. I. Op. imp. c. 48. Vid. et S. Th. 1. 2. q. 81. a. 4. in c. et ad 3.
(5) Rom. V. 12.
(6) Vid. S. Aug. lib. de Peccato Originali n. 43.

matus est (1): in illo natura humana tota est contaminata peccato, et facta est obnoxia supplicio, quando omnes homines erant ille unus homo (2). Haereditarium malum est, ad omnes Adae filios pertinens (3); et ad ipsos quodam operante contagio transiens sine ipsorum voluntate, quod non potuit ab illo sine voluntate committi (4). Unde ad significandum peccatum illud esse naturae, et non imitatione, sed generatione transfundi, per unum hominem dixit Apostolus intrasse in mundum, cum tamen et Eva peccaverit, imo prior ipsa peccaverit; ideo scilicet per unum hominem, quia trajicitur per generationem, quae a viro incipit, et ubi praeterea, qui generant jam non sunt duo, sed una caro (5).

§. XCI.

In Adam ergo omnes moriuntur (6) non solum morte corporis, sed etiam morte peccati (7). Nam

(1) Hebrae. VII. 9. 10. Vid. et S. Aug. cit. c. 48. lib. I. Op. imp.

(2) Vid. S. Aug. lib. II. Op. imp. c. 178. 179. et s. Th. 1. 2. q. 81. a. 1. in c.

(3) S. Ambros. lib. de Sacram. regen., seu de Philosophia, qui liber periit, apud S. Aug. lib. II. contr. Julianum n. 15.

(4) Vid. S. Aug. lib. IV. Op. imperf. c. 98. et 99.

(5) Vid. S. Aug. lib. II. Op. imp. cap. 173.

(6) I. Cor. XV. 22.

(7) Vid. S. Aug. de C. D. lib. XX. c. 6. n. 1. et Op. imperf. lib. II. c. 175.

Nam pro omnibus mortuus est Christus (1), qui, non est mortuus, nisi pro iis, qui erant impii (2) utique ut justificarentur: qui erant inimici (3), ut reconciliarentur; qui erant peccatores (4), ut liberarentur: venit enim filius hominis quaerere et salvum facere, quod perierat (5); salvum facere scilicet populum suum a peccatis eorum (6). Si igitur unus pro omnibus mortuus est; ergo omnes mortui sunt (7), illa utique morte, quae est ejus, qui impius, peccator, et Deo inimicus existit (8). Non igitur ab hujus contagione peccati eximuntur, qui de parentibus, quibus originale dimissum est, generantur. Unde et in illo populo, cui data est circumcisio in remedium originalis peccati, nati ex circumcisis parentibus infantes circumcisione indigebant, ne periret anima illorum de populo suo (9); et in nova lege, qui nascuntur de parentibus baptizatis et effectis membra Christi exsufflantur, ut eruantur de potestate diaboli, et baptizantur in remissionem peccatorum; nec Christum induunt, nisi in eo baptizentur (10); nec fiunt membra Christi, nisi in baptismo conse-

(1) II. Cor. V. 15.
(2) Rom. V. 6.
(3) Rom. V. 10.
(4) Ibid vers. 8.
(5) Lucae XIX. 10.
(6) Matth. I. 21.
(7) II. Cor. V. 14.
(8) Vid. S. Aug. lib. VI. contra Julianum n. 48.
(9) Gen. XVII. 14.
(10) Galat. III. 27.

sepeliantur Christo (1); in cujus morte baptizantur quicumque baptizantur (2); excludendi a regno Dei, nisi regenerentur ex aqua, et Spiritu Sancto (3).

§. XCII.

Haec gratia novi testamenti in qua regeneratos a generatis, si separatim vitas suas agunt, Deus secundum propria facta discernit, ut non portet filius iniquitatem patris, promittebatur ab ipso Domino, cum per Ezechielem (4) praenuntiavit, non futurum ultra, ut sit proverbium illud: *Patres manducaverunt uvam acerbam, et dentes filiorum obstupuerunt* (5). Nec arguit quia dicebatur; sed ostendit, ubi non dicatur (6); in Israel scilicet; hoc est in regeneratis; non enim omnes, qui ex Israel, hi sunt Israel; idest, non qui filii carnis hi filii Dei; sed qui filii sunt promissionis aestimantur in semine (7). Hoc proinde testimonio prophetico plane abuteretur, qui eo designari putaret futurum, ut postquam Christus advenerit; non ultra transfundi deberet primi parentis peccatum, saltem in eos, qui de fidelibus parentibus gignerentur: Quamdiu enim regenerati non

(1) Colos. II. 12.
(2) Rom. VI. 3.
(3) Joan. III. 5.
(4) Ezech. XVIII. 2.
(5) Vid. S. Aug. Op. imp. lib. III. c. 38.
(6) Vid. ibid. c. 29.
(7) Rom. IX. 6. 8. vid. S. Aug. cit. Lib. III. Op. imp. c. 41.

non sunt, profecto non pertinent ad Israel, neque deputantur in semine benedictionis (1), quod est Christus; sed (2) sunt natura filii irae, sicut et caeteri.

§. XCIII.

Quos autem movet, cur si peccator genuit peccatorem, non etiam justus justum gignere debeat: attendant, ideo de parentibus, qui justi sunt, et filii Dei, non filios Dei, sed filios saeculi generari, quia et hi qui generant, non ex hoc generant, quo filii Dei sunt, sed ex quo adhuc filii saeculi. Dominica quippe sententia est (3), *Filii hujus saeculi generant, et generantur*. Inde et quod nascitur de carne, caro est (4). Justi autem non sunt nisi filii Dei, in quantum autem sunt filii Dei, carne non gignunt, quia spiritu et ipsi non carne nati sunt; sed ex hoc carne gignunt, quicumque eorum gignunt, ex quo nondum in novitatem perfectam totas vetustatis reliquias commutarunt. Unde quisquis filius de hac parte nascitur vetusta, et infirma, necesse est, ut etiam ipse vetustus sit et infirmus; idcirco oportet, ut etiam ipse in aliam generationem per remissionem peccati spiritu renovetur (5).

(1) Galat. III. 16.
(2) Ephes. II. 3.
(3) Lucae XX. 34.
(4) Joan. III. 6.
(5) Vid. S. Aug. de pec. merit. lib. II. n. 11. 43. lib. I. de Nupt. n. 20. et lib. VI. contr. Julian. n. 40.

§. XCIV.

Nimirum hoc trajicit parens in prolem carnalem, quod est ipse carnaliter natus, non quod spiritaliter est renatus: quia id ipsum quod carnaliter natus est, quamvis reatu soluto non impediat fructum ejus, tamen tamquam in semine olivae latet, etiamsi propter remissionem peccatorum nihil oleo nocet, ei scilicet vitae; qua secundum Christum, qui appellatus est ab oleo, idest a chrismate, justus ex fide vivit. Hoc autem quod in parente regenerato, tamquam in oleae semine, sine ullo reatu, quia remissus est, manet; profecto in prole nondum regenerata, velut in oleastro, cum reatu habetur, donec etiam illic eadem gratia remittatur. Ex quo enim Adam ex olea tali, in qua nec semen erat hujusmodi, unde amaritudo nasceretur oleastri, in oleastrum peccando conversus est; quia tam magnum peccatum fuit, ubi magna fieret in deterius mutatio naturae, totum genus humanum fecit oleastrum: ita ut, quemadmodum nunc in ipsis videmus arboribus, si quid inde in oleam gratia divina convertit, ibi vitium primae nativitatis, quod erat originale peccatum de carnali concupiscentia traductum, et adtractum, remittatur; insit tamen, unde oleaster nascatur, nisi et ipse in oleam eadem gratia renascatur (1).

§. XCV.

(1) S. Aug. lib. I. de Nupt. n. 37. Vid. et n. 21. ejusd. lib., et n. 58. lib. II. et S. Th. 1. 2. q. 81. a. 3. ad 2.

§. XCV.

Neque vero sicut in lumbis patris sui Abrahae decimatus Levi postmodum non est decimatus, ita in lumbis patris sui potuit infans, dum ille per baptismum mundabatur, mundari. Hoc si esset ad baptismum non adducerentur infantes de parentibus baptizatis progeniti. Nec ideo Levi non est decimatus quia decimatus fuerat in lumbis patris sui: sed quia sic ordinatus est honore Sacerdotii ut acciperet decimas, non praeberet; alioquin nec caeteri fratres ejus, qui ei praebebant, decimarentur, quia et ipsi in lumbis Abrahae a Melchisedech jam fuerant decimati (1). Itaque mundatio a peccato non generationis carnalis ex Adam, sed regenerationis spiritualis in Christo opus est. Quocirca sicut homo qui non vixerit, mori non potest, et qui mortuus non fuerit, resurgere non potest; ita qui natus non fuerit, renasci non potest; ex quo conficitur, neminem in suo parente renasci potuisse non natum (2).

§. XCVI.

Non ergo Apostolum, sicut oportet, intelligunt, qui filios, alterutro conjuge fideli existente, procreatos putant dictos non immundos, sed sanctos (3), quia virtute baptismi alterutrius parentis accipiant justitiam. Nec attendunt non unius modi esse sancti-

(1) Vid. S. Aug. lib. II. de pec. mer. n. 40.
(2) Vid. S. Aug. cit. lib. II. de peccat. mer. n 43. Vide, et Epist. CLXXXVII. al LVII. ad Dard. n. 31., et S. Th. 3. p. q. 68. a 11. in c.
(3) I. Cor. VII. 14.

ctificationem : nam et Catechumeni secundum quemdam modum suum per signum Christi, et orationem manus impositionis sanctificari dicuntur: et ipsos cibos, quibus ad necessitatem sustentandae hujus vitae alimur, sanctificari idem Apostolus dixit (1) per verbum Dei, et orationem. Ac per hoc et illa sanctificatio cujuscumque modi sit, quam in filiis fidelium esse dixit Apostolus, ad istam de baptismo, et de peccati origine, vel remissione non pertinet. Nam et conjuges infideles in conjugibus fidelibus sanctificari dicit eo ipso loco; neque tamen quisquam tam infideliter intelliget, quodlibet in illis verbis intelligat, ut ob hoc existimet, etiam maritum non christianum, quia christiana fuerit uxor ejus, neque jam baptizari oportere, et ad peccatorum remissionem jam pervenisse, et in regnum coelorum esse intraturum, quia sanctificatus dictus est in uxore (2). Nec eos juvat, quod idem dicit Apostolus (3). *Si delibatio sancta est et conspersio, et si radix sancta est et rami*. Ista namque conspersio est ex Abraham, non ex Adam, idest ex comunione Sacramenti, et similitudine fidei, non ex propagine mortali (4).

§. XCVII.

---

(1) I. Tim. IV. 5.
(2) Vid. S. Aug. lib. II. de pec. mer. n. 42.
(3) Rom. XI. 16.
(4) Vid. S. Aug. Ep. CLXXXVI. al CVI. ad Paulinum n. 19.

§. XCVII.

Hujus itaque peccati vinculum concupiscentia generatione transmittit in omnes Adae posteros (1), per quam propagatur natura in radice vitiata; quodam scilicet operante contagio: quomodo malas valetudines parentum videmus ingenerari quodammodo, et apparere in corporibus filiorum (2). Sola quidem propagatur caro, sed caro peccati, hoc est caro vitiata; anima autem lege providentiae corpori unita vitium, tanquam liquor ex vitiato vase, contrahit, a quo nón sanatur nisi per eum, qui venit in similitudinem carnis peccati (3): ut quomodo in paradiso ab animo coepit elatio, et ad praeceptum transgrediendum inde consensio, propter quod dictum est a serpente: *Eritis sicut Dii*; sed peccatum illud homo totus implevit, et facta est càro peccati; sic ex consortio vitiatae carnis anima sordidatur (4). Unde et Dominus, qui regenerationem opposuit generationi, instituit, ut aqua verbis evangelicis consecrata corpus tangente, anima a sorde peccati ablueretur.

§. XCVIII.

Neque vero damnatores sumus aut Nuptiarum, aut operis divini, quo Deus homines creat, quoniam dicimus, eos, qui de tali commixtione nascùntur, trahere originale peccatum, ut invidiosissime calumniabantur Pelagiani. Prorsus bonae

 sunt

(1) Vid. S. Aug. lib. I. de Nupt. n. 25. et S. Th. 1. 2. q. 82. a. 4. ad 2.
(2) Vid. S. Aug. lib. II. de Nupt. n. 57.
(3) Vid. S. Aug. lib. V. contr. Julian. n. 17.
(4) Vid. S. Aug. loc. mox. cit.

sunt Nuptiae, atque in suo ordine laudandae; nec institutae sunt causa peccandi, sed generandi: propter quod et a Domino sunt benedictae (1); nec ad eas pertinet peccatum, quod inde a nascentibus trahitur; sed ad malum, quod accidit hominibus, quorum conjunctione sunt nuptiae; quomodo valetudo mala, quam ex parentibus male affectis contrahunt filii, non ad nuptias, sed ad malam parentum valetudinem referenda est. Malum quippe concupiscentiae et potest esse sine nuptiis, et potuerunt esse nuptiae sine illo; ad conditionem autem pertinet corporis, non vitae illius, sed mortis hujus, ut nunc non possint esse nuptiae sine illo, quamvis ipsum possit esse sine illis. Hoc ergo malum nec in ipsis nuptiis malum est nuptiarum, quae imo eo malo bene utuntur, quo, nisi per ipsas, bene uti quisquam non potest (2). Neque nuptiarum fructum diabolo assignamus. Fructus quippe nuptiarum homines sunt, qui ordinate inde generantur; non peccata, cum quibus nascuntur: nec ideo sunt homines sub diabolo, quia homines sunt fructus nuptiarum; sed quia peccatores sunt, ubi est propago vitiorum. Diabolus enim culpae auctor est, non naturae (3).

§. XCIX.

Nec moveat, quomodo anima ex consortio vitiatae carnis rea evadat peccati, quae libera voluntate

(1) Genes. I. 28.
(2) Vid. S. Aug. lib. II. de Nupt. n. 42.
(3) Vid. S. Aug. cit. lib. II. de Nupt. n. 11.

tate non ei consensit. Dicimus autem et nos, non posse esse sine libera voluntate peccatum; nec ideo tamen contradicimus, cum asserimus esse originale peccatum: quia ad hoc peccati genus ex libera voluntate perventum est, non ejus propria, qui nascitur; sed ejus, in qua omnes originaliter fuerunt, quando comunem naturam mala voluntate vitiavit. Non habent ergo parvuli tempore conceptus, vel ortus sui peccandi voluntatem: sed ille tempore praevaricationis suae magnum illud peccatum libera voluntate commisit, a qua originalis peccati contagium sic humana natura contraxit, ut verissime diceret sanctus (1) *In iniquitatibus conceptus sum*, et alius itidem sanctus (2) *Nemo mundus a sorde, nec infans, cujus est unius diei vita* (3). Peccatum quippe hoc alienum est, non nostrum proprietate actionis; licet et nostrum contagione propaginis (4); peccatum est in nobis non arbitrii, sed naturae, quae tota vitiata est libero arbitrio primi hominis (5); peccatum est, simulque poena peccati, quod in homine illo primo fuit tantummodo peccatum (6). Hinc est, quod in re-

(1) Psal. L. 7.
(2) Job. XIV. 4. secund. LXX.
(3) Vid. S. Aug. lib. IV. Op. imp. c. 90. et S. Th. 1. 2. q. 81. a. 1. in c.
(4) Vid. S. Aug. lib. VI. contr. Julian. n. 28. et S. Th. 1. 2. q. 81. a. 3. in c.
(5) Vid. S. Aug. lib. V. Op. imp. c. 40. et S. Th. 3. p. q. 8. a. 5. ad 1.
(6) Vid. S. Aug. Op. imp. lib. I. cap. 44. 47. lib. II. cap. 38. lib. III. c. 69. et lib. VI. c. 17.

generatione per Christum, quae opponitur generationi per Adam, justitiae spiritus trajicit fidem in parvulos, quam voluntate propria nondum habere potuerunt (1).

§. C.

Non igitur ad explicandam transfusionem originalis peccati opus est cum paucis quibusdam Theologis confugere ad rationem capitis moralis, quae fuerit in Adamo respectu generis humani; ita ut in Adam, tamquam in morali capite, omnium posterorum voluntates praecontinerentur. Quin imo jure ac merito a plerisque Theologorum opinio illa de morali capite reprobabatur, et (2) Tridentinis Patribus minime apta visa est ad explicandam transfusionem culpae; adeo ut ea admissa sequeretur, solam poenam in posteros Adae transfundi; neque ea posita, staret antithesis instituta ab Apostolo (3) Christum inter, et Adamum; non enim quia Christus constitutus est morale caput nostrum, injunctumque sibi a Patre praeceptum implevit, justificamur, nisi sanctitatis ejus per interiorem gratiam in sacramento regenerationis reddamur participes. Sola ergo nativitas carnalis ex Adam sicut facit filios Adae, ita constituit peccatores per illius inobedientiam; quomodo nativitas secunda spi-

(1) Vid. S. Aug. lib. III. de pecc. mer. n. 2. et lib. I. Op. imp. c. 56., et s. Th. 1. 2. q.81. a. 3. ad 2
(2) Vid. Pallav. Hist. Conc. Trid. lib. VII. c. 8
(3) Rom. V. 12. 15.

spiritualis in Christo facit filios Dei, et constituit justos propter hujus obeditionem (1).

§. CI.

Absit autem, ut hic quisquam putet si scelere primi parentis natura generis humani mutata est, etiam nunc parentum scelera naturam debuisse mutare filiorum. Homo quippe, ut perspecte observat Angelicus (2), generat sibi idem in specie, non autem secundum individuum; et ideo ea, quae directe pertinent ad individuum, sicut personales actus, et quae ad eos pertinent, non traducuntur a parentibus in filios; ita Grammaticus non traducit in filium scientiam grammaticae, quam proprio studio acquisivit. Sed ea quae pertinent ad naturam speciei traducuntur a parentibus in filios, nisi natura deficiat; sic etiam cui pes, vel manus fuerit amputata, filium generat cum pede, manu etc.; quia nimirum haec ad naturam speciei pertinent; quin imo etiam aliqua accidentia individualia propagantur in filios, si ejusmodi sint ut pertineant ad dispositionem naturae, sicut velocitas corporis, perspicacia ingenii etc., nullo autem modo ea, quae sunt pure personalia. Sicut autem ad personam pertinet aliquid secundum seipsam, et aliquid ex dono gratiae, ita etiam ad naturam potest aliquid pertinere secundum seipsam; quod scilicet caussatur ex principiis ejus, et aliquid ex dono gratiae. Porro justitia originalis, etiam prout com-

(1) Vid. S. Th. 1. 2. q. 81. a. 1. in c.
(2) 1. 2. q. 81. a. 2. in c.

complectitur immunitatem a concupiscentia, ab ignorantia recti, a morte, et miseriis, quibus nunc subjicimur, erat donum gratiae toti (1) humanae naturae divinitus collatum in primo parente, non autem personale privilegium ipsius Adae; repugnat quippe Divinae sapientiae, bonitati, justitiae, quod hominem conderet obnoxium concupiscentiae, ignorantiae, morti, caeterisque aerumnis, quibus nunc premimur (2) Haec autem dona humanae naturae divinitus collata in primo parente, ipso magnum illud peccatum committente, cui tam non possunt comparari caetera sive ipsius, sive posterorum, quam non potest vita, quae nunc agitur, ei comparari, quae in illis sanctis, et beatis deliciis agebatur (3), amissa sunt; unde sicut illa originalis justitia traducta fuisset in posteros simul cum natura, cui fuerat divinitus attributa; ita etiam justitiae illi opposita inordinatio; quae peccatum est subsecuta, traducitur. At vero alia subsequentia peccata vel primi parentis, vel aliorum non corrumpunt naturam quantum ad id, quod naturae est, sed solum quantum ad id, quod est personae, idest secundum proclivitatem ad actum; unde alia peccata vel primi parentis, vel aliorum non traducuntur in posteros.

§. CII.

---

(1) Vid. sup. §. LXXIV.
(2) Vid. sup. §§. LXIX. LXX. LXXI. LXXII.
(3) Vid. S. Aug. lib. XIV. de C. D. c. 12., et lib. VI. Op. imp. cap. 21.

§. CII.

Caeterum quoniam ex peccato primi hominis habet quidem natura humana ut sit vitiata, concupiscentiae, ignorantiae, morti obnoxia, miseriisque subjecta, non autem, habet ut his, vel illis aerumnis in particulari subjiciatur; hinc quod hujusmodi miseriarum jugum gravius fiat, etiam cum illi originali non addūntur actualia, non immerito ad peccata parentum refertur; non quod ad filios illa transmittantur; sed quod propter illa isti etiam interdum pūniantur ejus occulto, justoque judicio, qui in mensura, et numero, et pondere cuncta disponit, et se redditurum peccata patrum in filios non mendaciter dixit (1); ubi non imitationem, sed generationem utique se puniturum minatur. Unde cum saepe dixerit, se reddere peccata Patrum in filios (2); numquam tamen dixit, se reddere filiorum in patres, vel fratrum in fratres, vel amicorum in amicos, aut aliquid ejusmodi, ubi utique non generatio, sed imitatio redargueretur (3); nec ait in tertiam, et quartam imitationem, sed generationem (4): ut innueret, puniri filios pro parentibus, in quantum propter generationem filius est aliquid patris (5). Quare licet nullius hominis peccato natura

(1) Vid. S. Aug. Lib. III. Op. imp. c. 65..
(2) Exod. XX. 5. Ibid. XXXIV. 7. Levit. XXVI. 39. Num. XIV. 18. Deuter. V. 9. Jerem. XXXII. 18.
(3) Vid. S. Aug. lib. III. Op. imp. c. 28.
(4) Ibid. cap. 19.
(5) Vid. S. Th. 1. 2. q. 81. a. 2. ad 1.

tura in deterius mutetur, quae jam mutata fuerat primo illo peccato (1), attamen recte dici potest, quod quidam parentes aggravent in filiis originale peccatum (2).

§. CIII.

Sed etsi nulla ratione indagari, aut explicari posset quomodo trahatur originale peccatum, ipsius tamen fides neganda non est (3), quae ex scripturis veteris et novi testamenti firmata (4) antiquitus praedicatur, et creditur per Ecclesiam totam, quae filios fidelium non exorcizaret, nec exsufflaret, si non eos de potestate tenebrarum, et a principe mortis erueret (5). In hoc dogmate asserendo, quod ad ipsa fidei pertinet fundamenta (6), Occidentalium, et Orientalium Patrum con-

---

(1) Vid. praeced. §. CI.

(2) Vid. S. Aug. lib. IV. Op. imp. cap. 133. et ex eo S. Prosp. sententia 306.

(3) Vid. S. Aug. lib. V. contr. Julian. n. 17.

(4) Job. XIV. 4. secundum LXX. *Quis erit mundus a sordibus? ne unus quidem, etiamsi unius diei fuerit vita ejus* (Psalm. L. 7.). *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, et in peccatis concepit me mater mea* (Rom. V. 12.). *Per unum hominem peccatum intravit in mundum etc.* (II. Cor. V. 14.). *Si unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt* (Ephes. II. 3.) *Eramus natura filii irae sicut et caeteri*. Vid. S. Aug. lib. I. Op. imp. c. 63. in Psal. L. n. 10. Enchirid. cap. 46. Epist. CLXII. al. LXXXI. ad Hilarium n. 11. lib. I. de Peccat. merit. n. 9. et 11. lib. 2. de Nupt. n. 45. 47. lib. VI. c. Julian. n. 8. et 24., et Op. imp. lib. II. cap. 47. et seq.

(5) Vid. S. Aug. lib. I. contr. Julian. n. 11.

(6) S. Aug. lib. I. cont. Julian. n. 22.

concors est, et una sententia (1): a quorum concordissima societate perperam quis auderet sejungere, et eis adversarium constituere vel S. Joannem Chrysostomum, cujus objectum a Juliano locum ex Homilia ad Neophytos egregie vindicavit S. Augustinus (2), vel Clementem Alexandrinum, vel Tertullianum, vel, qui post tempora Pelagii floruit, Theodoretum. Origenes ob praeconceptam de animarum praeexistentia opinionem peccatum quidem ex Adamo per originem traductum non agnovit; nihilominus quoniam cum vitio, et peccato omnes homines nasci, ejusque merito subiici concupiscentiae, ignorantiae, morti, caeterisque hujus vitae miseriis asseruit, Manichaeis aeque, ac Pelagianis et ipse adversatur; et Naturalistis, atque admittentibus possibilem statum naturae purae contradicit.

§. CIV.

An non autem hoc fundatissimum Catholicae fidei dogma nititur omnino subvertere, qui illustriora scripturae testimonia, quibus illud comproba-

(1) Vid. S. Aug. lib. I. contr. Julian. n. 14. et 20. itemque ibid. n. 12. et lib. II. n. 37. qui etiam cit. lib. I. profert testimonia Ireneaei Lugdunen. n. 5. Cypriani Carthagin. n. 6. Reticij Augustodonen. n. 7. Olympii Hispan. n. 8. Hilarii Pictavien. n. 9. Ambrosii Mediolanen. n. 10. Gregorii Nazianzeni n. 15. Basilii Caesareen. n. 16. et 18. XIX. Episcoporum Synodi Diospolit. n. 19. Joannis Chrysostom. n. 23. 24. 25. 26. 27. et S. Hieron. n. 34.

(2) Cit. Lib. I. contr. Julian. n. 22. 26. 28. 29.

batur Sociniano more alio detorquere conatur, maximeque Apostolicum illud. *Per unum hominem peccatum intravit in mundum . . . . . in quo omnes peccaverunt* (1), quod Sacrosancta Synodus Tridentina secuta plenarium totius Africae Concilium contra Pelagianos anno CCCCXVIII. celebratum, cujus etiam verba Canonis II. exscripsit, de peccato originali ab Ecclesia ubique diffusa semper fuisse intellectum testatur (2), nec aliter intelligendum esse definit (3); illudque, exemplo praedicti Africani Concilii, nec non Concilii Arausicani II. anno DLIX. contra Pelagianae haeresis reliquias congregati (4), unum omnium selegit ad stabiliendum hujusmodi catholicum dogma (5), quod in eodem, quo S. Augustinus, et memorata Concilia, accipiunt, sensu exprimitur in versionibus Arabica, et AEthiopica; quod ita intellectum a Patribus testatur Gerardus Vossius (6): quo denique originale peccatum tradi apertissime demonstrant doctissimi, et linguarum peritissimi inter Novatores Grotius, Clarius, Zegerus, Jacobus Capellus (7), Brianus Waltonus (8) Smi-

(1) Rom. V. 12.
(2) Sess. V. in Decreto de peccat. originali Can. 4.
(3) Ibid.
(4) Vid. ejusd. Arausic. Concil. II. Can. 2.
(5) Vid. Trid. cit. loc. Can. 2.
(6) De haeres. Pelag. Lib. II. p. 1. thesi 2.
(7) Vid. horum Commentaria in hunc locum volum. VII. Sacrorum Criticorum.
(8) In Polyglot. Anglic. T. V. p. 649.

Smidius (1), Theodorus Beza (2)? Quid ergo sibi vult nuperus quidam interpres, dum docet illis verbis: *Et ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt*, hoc unum significari; corporis scilicet mortem immaturam, sive ante tempus lege naturae et ob Adami culpam necessarium, inflictam a Deo pertransisse, pro eo quo illi omnes enormi aliquo facinore peccaverunt; ut multi ex his, qui diluvio perierunt, ut Sodomitae, ut Pharao, ut Israelitae in deserto, aliique (3)? Quid est, quod addit (4), Illud Apostoli: *In quo omnes peccaverunt*, si Tridentina Synodus diceret, semper Ecclesiam intellexisse de originali peccato, de Ecclesia intelligeret non ut judex pronuntiat de aliqua controversia, post examen sive a Concilio, sive ab Apostolica Sede institutum, sed ut in scholis docent plerique omnes Theologi? Ecce, Sancta Synodus dicit, Ecclesiam ita tenuisse, non tam quod Scholastici docerent inspiciens (quorum tamen non est contemnenda auctoritas); sed maxime attendens ad scripta eorum, quos Christus posuit Pastores et Doctores (5), et prae oculis habens, quae Afri-

(1) Biblior. suorum pag. 1000.

(2) In not. ad Novum Testamentum p. 405. Edit. Cantabrig.

(3) Vid. Joan. Hard. Paraphr. vers. 12. c. 5. ad Rom.

(4) Adnot. in eumd. loc.

(5) Cit. Can. IV. Decreti de peccato originali editi in sess. V.

fricani Patres universi in Concilio contra haereticos Pelagianos tamquam testes traditionis, et judices controversiarum ante undecim saecula definierunt definitumque universa Ecclesia sua acceptatione probavit, prout etiam probavit supremus tunc universalis Pastor Ecclesiae S. Innocentius hujus nominis I. Neque vero Sancta Synodus Tridentina praecise dixit, Ecclesiam illa Apostoli verba de originali peccato semper intellexisse; sed, quod caput est, innovat Africani Concilii definitionem, ejusdemque utens verbis definiendo definit. *Quoniam non aliter intelligendum est id quod dixit Apostolus; per unum hominem etc. in quo omnes peccaverunt; nisi quemadmodum Ecclesia Catholica ubique diffusa semper intellexit*; de peccato scilicet originali. Quid est denique, quod novus criticus subdit, sed Theologi (quorum scilicet placita secutos, et quidem coeco more, Tridentinos Patres, cum adunati in synodo canonem illum fidei ediderunt, comminiscitur) sic sensere illa aetate, atque etiamnum ita sentiunt, nullo alio nixi fundamento, quam librorum, quos a patribus scriptos esse falso putarunt, et adhuc putant (1)? Quorsum haec? nisi ut detrahatur Patribus Tridentinis, OEcumenicae Synodi elevetur auctoritas, sacrae traditiones, quarum testes sunt Sancti Ecclesiae Patres, illorum scripta tanquam spuria rejiciendo, penitus subvertan-

(1) Vid. sup. cit. Adnotat. in eum Paulinae Epistolae locum.

tantur, et quod ubique, quod semper habitum est catholici dogmatis fundamentum omnino summoveatur? Aut quid est aliud, quam in controversia, quae tamdiu agitata est inter Catholicos ex una parte, et Manichaeos, Pelagianos, Socinianos, Arminianos ex alia de sensu Apostolici illius testimonii, arbitrum sedere velle privatum spiritum quantulacumque linguarum peritia superbientem, dejecta Ecclesia, quam omnis Catholicus agnoscit legitimum judicem controversiarum de sensu scripturae; et, quod mensuram scandali implet, caussam adjudicare Haereticis contra OEcumenicam Synodum, idque a viro catholicae professionis, etiam cum Ecclesiae caussam tuentur ipsi quoque Criticorum inter Novatores doctissimi? Hoccine est de Fide Catholica, de Ecclesia Christi, de OEcumenicis Conciliis, de Apostolica Sede, de Theologis, de Christiana Plebe bene mereri? Merito igitur quod de iis, qui distortis interpretationibus eludere conabantur locum Apostoli (1). *Per hominem mors, et per hominem resurrectio mortuorum etc.*, scripsit Magnus Augustinus (2), usurpamus ad rem nostram: *Quisquis in Christiana fide vult labefactare quod scriptum est*; Per unum hominem etc. in quo omnes peccaverunt, *totum, quod in Christum credimus, molitur auferre.*

H §. CV.

(1) I. Cor. XV. 21. 22.
(2) Lib. I. contr. Julian. n. 22.

§. CV.

Peccatum hoc, quod origine unum est, et propagatione, non imitatione transfunditur, omnibus inest unicuique proprium (1). Est nimirum, tamquam valetudo mala, ingenitum homini vitium (2); quod vitium non in substantiam de substantia, tamquam de loco in locum migrat, ut quod fuit ibi, ipsum sit alibi; sed aliud ejusdem generis, quodam operante contagio, quod etiam de morbidis parentum corporibus solet evenire nascentibus (3). Ea enim, quae in subjecto sunt, sine subjecto quidem, in quo sunt esse non possunt; sed afficiendo transeunt, non emigrando; quemadmodum AEthiopes, quia nigri sunt, nigros gignunt; non tamen in filios parentes colorem suum velut tunicam transferunt; sed sui corporis qualitate corpus, quod de illis propagatur, afficiunt (4).

§. CVI.

Ipsum nempe peccatum originale non est mala quaedam substantia, ut dogmatizavit Centuriarum Magdeburgensium praecipuus compilator, et Lutheranorum, qui rigidiores vocantur, antesignanus Matthias Illyricus. Iniquitas quippe ipsa non est substantia; non enim iniquitas est natura, quam facit

(1) Vid. Trid. Sess. V. in Decret. de peccat. originali can. 3.
(2) Vid. S. Aug. Lib. VI. contr. Julian. n. 55. et Lib. II. de Nupt. n. 57.
(3) Vid. S. Aug. Lib. VI. contr. Julian. n. 55.
(4) Vid. S. Aug. Lib. V. contr. Julian. n. 31.

facit Deus; sed perversitas, quam fecit homo (1); neque cum originale ipsum per baptisma deletur, quidpiam substantiae deperit baptizato. Sed neque est ipsum personale Adae peccatum posteris ejus imputatum, ut post Albertum Pighium opinatus est Ambrosius Catharinus; quomodo remissio ejus non fit vel sola imputatione justitiae Christi, vel sola peccatorum remissione, exclusa gratia, et caritate (2). In originali itaque peccato duo attendi debent; scilicet privatio originalis justitiae, per quam voluntas subdebatur Deo: et inordinatio virium animae, in eo praecipue sita, quod convertuntur ad bonum commutabile; quae quidem inordinatio communi nomine appellatur concupiscentia. Peccatum igitur originale materialiter quidem est concupiscentia, formaliter vero est defectus originalis justitiae (3); sive (4) est concupiscentia cum reatu.

§. CVII.

Hic reatus solvitur in baptismo (5); tollitur quippe totum id, quod veram et propriam Peccati ra-

(1) Vid. S. Aug. Serm. I. in Ps. LXVIII. num. 5.
(2) Vid. Trident. Sess. VI. can. 11.
(3) Vid. S. Th. 1. 2. q. 82. a 3. in c. et in 2. Sentent. d. 30. q. 1. a. 3., et q. 4. de malo a. 2.
(4) Vid. S. Aug. Lib. II. Op. imp. c. 31.
(5) Vid. S. Aug. Lib. I. de pec. mer. n. 69. Lib. I. de Nupt. n. 25. Lib. I. contr. duas Epist. Pelag. n. 26. 27. 28. Lib. VI. contra Julian. n. 48. 49. 52. etc. Lib. II. Op. imp. c. 31. cit., et Lib. I. Retract. c. 15. n. 2.

rationem habet (1) . In renatis enim nihil odit Deus, quia (2) nihil est damnationis iis, qui vere (3) consepulti sunt cum Christo per Baptisma in mortem (4). Manet quidem in baptizatis concupiscentia, vel fomes, aut lex peccati; at non propterea dici potest, quod impie commenti sunt Novatores, quodque olim Catholicos sentire calumniabantur Pelagiani (5), in baptismate tegi tantummodo, aut radi peccatum originale. Aufertur plane, non raditur (6); deletur, non tegitur (7). Neque enim, ut iidem Novatores falso opinantur, ipsa concupiscentia est id, quod veram et propriam rationem peccati habeat, cum, ut dictum est, non sit nisi velut materiale in ipso originali peccato: nec ab Apostolo (8) appellatur peccatum, quasi in renatis vere et proprie peccatum sit; sed modo quodam loquendi peccatum vocatur, quia peccato facta est: sicut scriptura manus cujusque dicitur, quod manus eam fecerit (9); itemque quia ad peccatum in-

---

(1) Vid. Trid. Sess. V. can. 5.
(2) Rom. VIII. 1.
(3) Rom. VI. 4.
(4) Vid. Trident. loc. cit.
(5) Vid. S. Aug. Lib. 1. contr. duas Ep. Pelagian. n. 26.
(6) Vid. S. Aug. ibidem.
(7) Vid. Trid. sess. V. can. 5.
(8) Rom. VII. 17. 23.
(9) Vid. S. Aug. Lib. I. contra duas Ep. Pelagian. n. 27.

inclinat, et peccatum, si vicerit, facit (1). Caeterum baptizatos nullo nisi ei consentiant, crimine innectit, nulla damnatione persequitur (2); manet enim ut languor et infirmitas (3) ; non tamen ut mors; in baptismo enim qui eramus mortui in delictis, convivificati sumus in Christo (4) et licet maneat illa ad agonem : non tamen obest renatis, soluto jam scilicet per lavacrum regenerationis vinculo, quo per illam diabolus animam retinebat; et interclusione destructa, quae hominem a suo Creatore separabat (5). Hoc sensit, hoc credidit, hoc docuit Magnus Augustinus : ut proinde mirum sit extitisse inter nostrae communionis Theologos, qui S. Doctorem Novatoribus concesserit, asserendo, ipsum de peccato originali adversus Pelagianos disserentem, difficultate rei oppressum, eam de natura ejusdem peccati tradidisse sententiam, quae impiae Novatorum doctrinae in Synodo Tridentina Sess. V. can. 5. ex professo damnatae favere videatur; et ex qua cogamur incidere in sententiam Pelagii, solam transfusionem poenae, non autem culpae in Adae posteros recognoscentis (6).

§. CVIII.

Illi autem, qui dicunt : Si primi hominis peccato factum est, ut moreremur, utque contrahe-

(1) Vid. S. Aug. ib. et L. I. de Nupt. n. 25.
(2) Vid. S. Aug. Lib. II. de peccat. mer. n. 4.
(3) Vid. S. Aug. Lib. I. Retract. c. 15. n. 2.
(4) Ephes. II. 5.
(5) Vid. S. Aug. Lib. I. de pec. mer. n. 69.
(6) Vid. Vasquez in 1. 2. Disp. 132. c. 1.

remus inordinationem virium animae : cur non in Baptismo sicut remittitur poena aeterna, non etiam remittitur poena mortis temporalis ; neque tollitur concupiscentia, cum praesertim plus nobis prodesse debuerit Christus nos redimendo, quam nocuerit Adam peccando? Qui, inquam hoc dicunt, et hinc vel fidem peccati originalis evertere, vel naturae purae statum inducere vel evacuare Christi crucem moliuntur ; cur non potius hoc attendunt, hoc audiunt, hoc sine dubitatione credunt, quod Apostolus sine ambiguitate locutus est (1), *Quia per hominem mors, et per hominem resurrectio mortuorum, sicut enim in Adam omnes moriuntur, ita et in Christo omnes vivificabuntur?* Neque enim aliunde, quam de corporis resurrectione dicebat. Omnium ergo corporum mortem factam per unum hominem dixit, et omnium corporum resurrectionem in vitam aeternam per unum Christum futuram esse promisit. Qnomodo ergo non plus nobis profuit Christus redimendo, quam nocuerit ille peccando? Per illius enim peccatum temporaliter morimur; per istius autem redemtionem non ad temporalem vitam, sed ad perpetuam resurgemus (2). Prima immortalitas, quam accepissemus, nisi Adam peccasset, erat, posse non mori; novissima, quam accipiemus per Christum, erit multo major; non posse mori. In statu innocentiae aberat concupiscentia: facta haec est peccato;

(1) I. Cor. XV. 21.
(2) Vid. S. Aug. Lib. II. de pec. mer. n. 49.

cato; sed renatis non nocet, nisi ei voluntate consentiant: et ne consentiant, agit hic gratia Salvatoris; qua gratia fiet, ut perfecte sanetur in altera vita. Habebat homo innocens perseverandi potestatem, idest, posse non deserere bonum; per Christum autem datur nunc, quibuscumque datur, ut bonum deserere nolint; dabitur novissime felicitas perseverantiae, bonum non posse deserere (1).

§. CIX.

Mirandum autem non est, et mortem corporis non fuisse eventuram homini, nisi praecessisset peccatum, cujus etiam talis poena consequeretur; et post remissionem peccatorum eam fidelibus evenire. Illa enim immortalitas primi hominis non proficiscebatur a natura, sed erat donum gratiae (2), licet sapientiae, justitiae, bonitati suae hoc deberet Deus, ne ab ortu suo filii Adam tam gravi jugo premerentur sine ullo merito peccatorum (3). Quamvis ergo homo lapsus gratiam recuperet quantum ad remissionem culpae, et meritum gloriae; non est tamen consequens, ut eamdem recuperet ad amissae immortalitatis effectum; sed hoc reservabatur Christo, per quem naturae defectus in melius erat reparandus (4).

(1) Vid. S. Aug. Lib. de Corrept. et Gratia n. 33.
(2) Vid. sup. §§. LXXI. LXXIII.
(3) Vid. S. Aug. Op. imp. Lib. I. cap. 23. 31. 49. 67. Lib. II. cap. 13. 16. 21. 22. Vid. et S. Th. 1. p. q. 97. a. 1. in c.
(4) Vid. S. Th. ibid. ad 1.

§. CX.

Utrumque ergo homini confertur per Christum, et remissio scilicet peccati et immortalitas; et quidem ita, ut non sicut delictum, ita et donum; sed multo magis gratia Dei, et donum in gratia unius hominis Jesu Christi in plures abundavit (1); abundantiam enim gratiae, et donationis, et justitiae hic accipiunt per unum Jesum Christum, qui fiunt membra ejus, et per ipsum non solum vitam habebunt, sed et regnabunt in vita (2). Sed utrumque fit secundum ordinem divinae sapientiae congruo tempore. Oportet enim, quod ad immortalitatem, et impassibilitatem gloriae, quae in Christo inchoata est, et per Christum nobis acquisita, perveniamus conformati prius passionibus ejus (3); unde oportet, quod ad tempus ejus passibilitas in nostris corporibus remaneat ad impassibilitatem gloriae promerendam conformiter Christo (4). Nunc ergo in corpore mortuo propter peccatum spiritus vivit propter justificationem. Deinde vero, si Spiritus ejus qui suscitavit Jesum Christum a mortuis, habitet in nobis: qui suscitavit Jesum Christum a mortuis, vivificabit et mortalia corpora nostra propter inhabitantem Spiritum ejus in nobis (5).

§. CXI.

---

(1) Rom. V. 15.
(2) Rom. V. 17.
(3) Rom. VIII. 17.
(4) Vid. S. Th. 1. 2. q. 85. a. 5. ad 2. et 3. p. q. 49. a. 3. ad 3.
(5) Rom. VIII. 11.

§. CXI.

Neque repugnat, imo maxime congruit ordini divinae justitiae, ut regeneratus in filium Dei adhuc ex vetustate nativitatis ex Adam retineat languorem, et subjiciatur temporali supplicio. Ad ordinem quippe divinae justitiae non reditur, nisi per quamdam recompensationem poenae (1). Et aequum plane fuit, ut quoniam homo in carne, quae non erat caro peccati, noluit inter delicias Paradisi servare justitiam: post ejus peccatum propagata caro peccati, ad recipiendam servandamque justitiam laboribus, et molestiis et eniteretur, et erudiretur. Propter hoc etiam de Paradiso dimissus Adam contra Eden habitavit, idest, contra sedem deliciarum: ut significaretur, quod in laboribus, qui sunt deliciis contrarii, erudienda esset caro peccati, quae in deliciis obedientiam non servavit, antequam esset caro peccati. Sicut ergo illi primi homines postea juste vivendo, unde merito creduntur per Domini sanguinem ab extremo supplicio liberati: non tamen in illa vita meruerunt ad Paradisum revocari; sic et caro peccati, etiamsi remissis peccatis homo in ea juste vixerit, non continuo meretur eam mortem non perpeti, quam traxit de propagine peccati (2).

§. CXII.

Interim vero, dum homo conjungitur Deo per voluntatem acceptando ordinem Divinae justitiae, ut

(1) Vid. S. Th. 1. 2. q. 87. a. 6. in c.
(2) Vid. S. Aug. Lib. II. de pec. mer. n. 55.

ut poenam divino illatam judicio libenter, et obedienti animo toleret habet ipsius bonae voluntatis meritum (1). Non solum autem hoc; sed et sua fidei fortitudo servatur. Sic enim homines mortem ipsam timent; ut non ob aliud felices dicerent esse Christianos, nisi quod mori omnino non possent; atque ita nemo propter illam vitam, quae post istam mortem beata futura est, per virtutem etiam contemnendae ipsius mortis ad Christi gratiam festinaret; sed propter removendam mortis molestiam delicatius, quam pie, crederetur in Christum, si fidelibus merces immortalitatis in hoc saeculo redderetur (2). Igitur post remissionem peccati manent infirmitates, et poenalitates; sed hae usque adeo regeneratis non obsunt, ut imo si, Deo donante, recte sapiunt, et volunt cooperentur ipsis in bonum (3). Manet enim mors non tantum ad poenam, verum etiam ad agonem ipsius fidei; ut scilicet spe resurrectionis timorem mortis vincant fideles, ne separentur a caritate Dei, quae est in Christo Jesu (4), et in eo timore vincendo exerceatur fortitudo justitiae (5); manet infirmitas: sed ut in ea virtus perficiatur (6) adest

(1) Vid. S. Th. 1. 2. q. 87. a 6. in c.
(2) Vid. S. Aug. lib. II. de pec. mer. n. 90. et de C. D. Lib. XIII. cap. 4.
(3) Rom. VIII. 28.
(4) Rom. VIII. 39.
(5) Vid. S. Aug. Lib. II. de peccat. mer. n. 51. et 55.
(6) II. Cor. XII. 9.

adest tribulatio; sed haec patientiam operatur; patientia autem probationem; probatio vero spem; spes autem non confundit (1); denique manet concupiscentia; sed manet ad certamen, et non ei consentientibus, sed utiliter per Jesu Christi gratiam repugnantibus nocere non potest, quin imo legitime certantibus proficit ad coronam (2). Novit nempe ille medicus, qui non est opus sanis sed aegrotantibus quemadmodum nos curando perficiat in aeternam salutem, ut et mortis timorem superando suscipiamus pro fidei sinceritate certamen; et dum vel infirmitate deficimus, vel carnis luctam adversus spiritum inviti sustinemus, et ingemiscimus; ab illa prima causa omnium vitiorum, quae etiam de Paradiso primum hominem dejecit, hoc est, a tumore superbiae, sancta humilitate sanemur (3).

§. CXIII.

Nostri temporis baptismum, et regenerationem in Christo praefigurabat Circumcisio imperata Abrahae (4). Etsi enim quia ex semine Abrahae erat Christus oriundus, in quo universarum gentium

(1) Rom. V. 3. 4. 5.
(2) Vid. Trid. Sess. V. can. 5.
(3) Vid. S. Aug. Lib. III. de peccat. mer. n. 23.
(4) Vid. S. Aug. Lib. II. de Anima et ejus orig. n. 15. Lib. VI. contr. Julian. n. 18. L. I. Op. imperf. c. 50. Vid. et S. Justinum in Dialogo cum Tryphone pag. 260. et S. Ambros. Lib. II. de Abraham n. 79. 80. 81. et S. Th. 1. 2. q. 102. a. 5. ad 3. et q. 103. a. 3. ad 4.

tium fuerat benedictio repromissa, et ab Abraham usque ad Christum multa erant saecula transitura: providens Deus, ne soboles dilecti Abrahae caeteris nationibus misceretur, et paulatim familia ejus incerta, gregem Israeliticum quodam circumcisionis cauterio denotavit: ut viventes inter AEgyptios, inter Assyrios, Babylonios, atque Caldaeos, hoc signaculo distinguerentur (1); non ad hoc tamen tantummodo fuit divinitus instituta: sed praeterea fuit signaculum commemorativum foederis initi Deum inter, et Abrahae genus (2): signaculum itidem justitiae fidei; quam habuit Abraham ante circumcisionem, credens in spem contra spem, cujus fidei merito accepit promissionem ut futurus esset Pater multarum gentium (3): signaculum pariter initiativum Religionis; in quantum circumcisione excitabatur progenies Abrahae ad imitandam Abrahae fidem, seque devovendum cultui supremi Numinis, ut Abrahae benedictionem consequeretur (4): denique, quod praecipuae hoc loco spectamus, ad significationem purgationis valebat originalis, veterisque peccati; sicut et baptismus ex illo valere coepit ad innovationem hominis, ex quo est institutus (5). Nec ob aliud cre-

(1) Vid. S. Hieron. Lib. I. in Epist. ad Galatas

(2) Gen XVII. 12. 13.

(3) Rom. IV. 9. 10. 11.

(4) Genes. XVII. 7. Vid. et S. Th. 1. 2. q. 102. a. 5. ad 1.

(5) Vid. S. Aug. Lib. II. de Nupt. n. 24.

credendum est, antiquis patribus hoc divinitus fuisse praeceptum, ut (1) octavo die circumciderent parvulos, nisi ad significandam regenerationem, quae fit in Christo, qui post diem septimum Sabbati, quo die jacuit in sepulcro traditus propter delicta nostra, sequenti, idest octavo in hebdomadibus die, resurrexit propter justificationem nostram (2); unde et circumcisionis cultellus petrinus erat ad significandum Christum, qui Petra erat (3), et caro praeputii carnem peccati designabat (4). Ita per omnia hujus circumcisionis non manufactae, quae nunc fit in Christo per baptismum (5), similitudo praemissa est illa circumcisio manufacta, quae data est Abrae (6), in qua circumcisio cordis intelligitur (7).

§. CXIV.

Erat igitur circumcisio invisibilis per fidem in Christum gratiae visibile signum ex divina institutione, et quidem (8) congruum illi tempori: servis enim, et populo durae cervicis durum praeceptum conveniebat; rubiginem tamen peccati origi-

gi-

(1) Gen. XVII. 12.

(2) Rom. IV. 25. Vid. S. Aug. Lib. VI. contr. Julian. n. 18.

(3) I. Cor. X. 4.

(4) Vid. S. Aug. Lib. de pec. orig. n. 36.

(5) Vid. Colossen. II. 10. 11. 12. 13.

(6) Vid. S. Aug. Lib. VI. contr. Julian. n. 18. et S. Th. 3. p. q. 70. a 1.

(7) Vid. S. Aug. Enarrat. in Psal. LXXIV. n. 12

(8) Vid. S. Bernard. Serm. IV. de circumcis. n. 1.

ginalis eradens, et (1) gratiam conferens justificantem. Hinc est, quod sub tanto est imperata terrore, ut diceret Deus (2), Animam illam de suo populo perituram, cujus praeputii circumcisio facta non fuisset: ubi non temporalis, mortis incussus est terror; cum de justis quando moriebantur, tunc potius diceretur: *Et appositus est ad Patres suos*; sed terror incussus est mortis aeternae, cui subdebatur etiam recentissimus a visceribus matris; qui nihil sane propria voluntate commiserat; pactum tamen a Deo initum in Paradiso cum Adam, isto peccante, irritum fecerat; neque in eo servatum fuerat, sed dissipatum pactum circumcisionis: quod plane sub Deo justo non esset, nisi circumcisio instituta fuisset in remedium originalis peccati, cujus merito peribat anima parvuli, si post octavum diem incircumcisus decessisset (3). Justificantem tamen gratiam, quam ad solvendam antiqui peccati obligationem conferebat, non conferebat virtute propria, aut virtute legis, per quam sane haberi non poterat justitia (4), sed ex virtute fidei passionis Christi, cujus signum erat

(1) Vid. S. Th. 4. p. q. 62. a 6. ad 3. et q. 70. a. 4. per totum et S.Bonavent. in IV. distin. 1. a. 3. q. 3.

(2) Genes. XVII. 14.

(3) Vid. S. Aug. Lib. de peccat. orig. n. 35, Lib. II. de Nupt. n. 24. Lib. III. c. Julian. n. 34. Lib. II. Op. imp. c. 161., et Lib. IV. c. 134. Vid. et de C. D. Lib. XVI. cap. 27., et S. Isid. in Genes. XVII. exscriptum a Glossa.

(4) Galat. II. 21.

erat circumcisio; ita scilicet quod homo, qui accipiebat circumcisionem, profitebatur se suscipere talem fidem, sive adultus pro se, sive alius pro parvulis (1). Eadem quippe fides Mediatoris salvos justos faciebat antiquos pusillos cum magnis, non vetus testamentum, quod (2) in servitutem generat; non lex, quae (3) non sic data est, quae posset vivificare; sed (4) gratia Dei per Jesum Christum: quem sic illi credebant venturum, moriturum, resurrecturum, quomodo nos credimus jam venisse, et mortem tolerasse, et resurrexisse (5).

§. CXV.

Etsi autem superioribus temporibus non extaret hujusmodi Sacramentum justificationis ex fide; non tamen ante circumcisionem justitia fidei nulla erat; nam cum adhuc esset in praeputio, ex fide justificatus est ipse Abraham (6) pater Gentium, quae fidem ipsius fuerant sectaturae (7). Ante impetratam ergo Abrahae circumcisionem aliquod aliud fuisse credendum est sensibile signum protestativum fidei in Mediatorem venturum, ut ab originali peccato parvuli mundarentur; prout etiam post latam circumcisionis legem tale aliquid hujusmodi

(1) Vid. S. Th. 3. p. q. 74. a. 4. in c.
(2) Galat. IV. 24.
(3) Galat. III. 21.
(4) Rom. VII. 25.
(5) Vid. S. Aug. Lib. II. de Nupt. n. 24.
(6) Rom. IV. 9. et seq.
(7) Vid. S. Aug. Lib. II. de Nupt. n. 24.

modi fuit et pro feminis, et fortasse pro parvulis ante octavum diem decedentibus, et pro caeteris illis, qui non ad genus quidem, sed ad fidem Abrahae pertinebant (1). Neque enim quia dicit Apostolus (2) peccatum usque ad legem in mundo fuisse, licet, cum lex non esset, non imputaretur; putandum est, iis, qui legem non acceperunt, nullo remedio opus fuisse contra originale peccatum, quasi eis non imputaretur. Nam etsi demus peccatum, de quo ibi dicit Apostolus, quod fuit usque ad legem, non quia deinceps non fuerit, sed quia non poterat nec per legem auferri, quod solo poterat spiritu gratiae (3), fuisse originale: sic debemus accipere quod addidit, non deputabatur; ut intelligamus, ab hominibus quidem non fuisse putatum peccatum, cum non esset lex, qua arguente demonstraretur, sive lex rationis in parvulo, sive lex litterae in populo; imputabatur tamen a Deo, ipsaque morte, quae regnavit ab Adam, usque ad Moysem, etiam in eos, qui non peccaverunt in similitudinem praevaricationis Adam (4), idest etiam in parvulis, qui necdum imi-

(1) Vid. S. Aug. Epist. CLXXXVII. al. LVII. ad Dardan. n. 34. Vid. et S. Gregor. Magn. Lib. IV. moral. c. 3. et S. Th. 3. p. q. 70. a. 4. ad 2.

(2) Rom. V. 13.

(3) Vid. S. Aug. Epist. CLVII. al. LXXXIX. ad Hilar. n. 18. Lib. Exposit. quarumdam proposit. ex Ep. ad Rom. prop. 27. Lib. I. de pec. mer. n. 12. Lib. II. Op. Imperf. c. 199.

(4) Rom. V. 14.

mitati fuerant Adam actu propriae voluntatis, commonebantur, per peccatum primi hominis mortem intrasse in hunc mundum, et in illo primo homine omnes peccasse, omnibusque ideo opus esse Salvatore. Caeterum non incongrue ibi peccati nomine intelligitur concupiscentia facta ex peccato primi hominis, cujus desideriis consentire non putabant homines esse peccatum, antequam lege admonerentur non concupiscere (1); attamen, qui sine scripta lege peccaverunt euntes post concupiscentias suas, sine lege perierunt (2), nisi, accepta per unum Mediatorem gratia, non jam ex uno illo originali, sed ex illo, et aliis multis delictis in justificationem fuerint (3) liberati.

§. CXVI.

De parvulis ergo, qui sive in uteris matrum vivere incipiunt, sive jam de matribus nati ex hoc saeculo transeunt, antequam eis Sacramento Mediatoris (quod pro diversitate temporum varium fuit (4), et quod nunc non est aliud, nisi Baptisma) ad expiationem originalis peccati poterit subveniri, indubitanter tenenda catholicae regula veritatis; quia propter peccatum originale damnentur (5). Cum enim (6) non sit aliud no-

(1) Rom. VII. 7.
(2) Rom. II. 12.
(3) Rom. V. 16.
(4) Vid. sup. §§. CXIV. CXV.
(5) Vid. Epist. Synod. PP. African. in Sardinia exulum c. 7.
(6) Actor. IV. 10.

men sub coelo datum hominibus, in quo oporteat eos salvos fieri, et non sit in alio aliquo salus, quam in Christo Jesu, qui (1) factus est nobis a Deo justitia, et sanctificatio, et redemptio; certi esse debemus, animam, quaecumque sine gratia Mediatoris, et sacramento ejus in qualibet corporis aetate de corpore exierit, et in poena futuram, et in extremo judicio recepturam corpus ad poenam (2). Erunt quidem parvuli hujusmodi in damnatione omnium mitissima, et levissima (3); in damnatione tamen, in quam ex uno per illud magnum ejus delictum eunt omnes (4), nisi gratia Christi liberentur; de qua parvulorum non regeneratorum damnatione tota Christi sentit Ecclesia (5); Dominicis scilicet et Apostolicis verbis instituta, quibus docetur non regeneratum ex aqua, et Spiritu Sancto intrare non posse in regnum Coelorum (6): eum autem, qui non fuerit in regno, futurum procul dubio in supplicio aeterno (7), quod Apostolus Joannes in Apocalypsi (8) vocat mortem secundam; videlicet (9) corporis, et animae

(1) I. Cor. I. 30.
(2) S. Aug. Ep. CLXVI. al. XXVIII. seu Lib. de Origine animae hominis ad Hieronymum n. 4.
(3) Vid. S. Aug. Lib. 1. de pec. mer. n. 21. et Lib. V. contr. Julian. n. 44.
(4) Rom. V. 16. 17.
(5) Vid. S. Aug. Lib. II. Op. imp. c. 117.
(6) Joan. III. 5.
(7) Matth. XXV. 46.
(8) Apocalyp. XX. 6. 14. et XXI. 8.
(9) Vid. S.Aug. de Civit. Dei Lib.XIII. c.3. 8.12.

mae punitionem sempiternam; in quam, eodem Apostolo teste (1), mittentur ii omnes, quorum nomina non invenientur scripta in libro vitae. Porro supplicium aeternum ipse est ignis aeternus paratus Diabolo, et Angelis ejus (2); Mors secunda est stagnum ignis ardentis, quo qui mittuntur cruciabuntur die ac nocte in saecula saeculorum (3). Firmissime igitur tenendum, et nullatenus dubitandum, parvulos, qui cum originali peccato de hoc corpore transeunt, non solum privandos visione Dei, et excludendos a regno ejus (4), ex qua carentia, et privatione, tristitiam utique habebunt (5), verum etiam ignis aeterni sempiterno supplicio esse puniendos (6). Et quis miretur, in igne aeterno cum Diabolo futurum, qui in Dei regnum intrare non sinitur (7)? quando ipse Paulus Apostolus cum terreret homines scelestos, et perditos, non eos terruit, quod erunt in igne sempiterno, quo sine dubio ibunt, si non corrigantur; sed tantum terruit, quod regnum Dei non possidebunt (8): ut cum viderent se perdere spem regni non viderent esse conse-

(1) Apoc. XX. 15.
(2) Matth. XXV. 41, 46.
(3) Apocal. XX. 10.
(4) Vid. sup. §. LXV.
(5) Vid. Aug. L. VI. contr. Julian. n. 32.
(6) Vid. S. Fulgent. Lib. de Fide ad Petrum n. 70.
(7) Vid. S. Aug. Op. imp. Lib. III. cap. 199.
(8) I. Cor. VI. 9. 10.

quens, nisi poenam ignis aeterni (1)? Quis miretur, quod sint futuri cum diabolo, qui (2) non sunt eruti de potestate tenebrarum (3)? Quid mirum denique, si futuri sint in interitum ii, super quos manet ira Dei (4)? Sunt quippe natura filii irae (5): ac proinde, quoniam non fiunt per gratiam vasa in honorem, vasa sunt irae apta in interitum (6).

§. CXVII.

Sicut igitur parvulus, qui baptizatus, gratuita Dei bonitate salvatur: ita non aliquo dicendus est Dei beneficio futurae impietati praereptus, qui absque justificationis gratia mortuus, impiorum est consortio deputatus; ut in Synodica Epistola (7) professi sunt Africani Episcopi pro Catholicae fidei confessione in Sardinia exules, simul et sententiam illam cujusdam disputatoris caeteroquin Catholici nec ignobilis, quam S. Augustinus et perspectam se habuisse, et necesse sibi non fuisse refellere, neque tamen sibi probari, diserte testatur (8), quam imo antea confutaverat in Vincentio Victore (9), tacite reprobantes, qua asserebatur;

(1) Vid. S. Aug. Serm. CCXCIV. de Baptis. Parvulor. al XIV. de verb. Apost. n. 4.
(2) Colos. I. 13.
(3) Vid. S. Aug. Op. imp. Lib. III. cap. 199.
(4) Joan. III. 36.
(5) Ephes. II. 3.
(6) Rom. IX. 22.
(7) Cap. VII.
(8) Lib. de Don. Persev. n. 24.
(9) L. III. de anima et ejus origine n. 14.

tur ; praescisse Dominum Tyros , et Sidonios a fide fuisse postea recessuros , cum factis apud se miraculis credidissent, et misericordia potius Dominum non ea illic fecisse , ne graviori poenae fierent obnoxii, et tam longe antea , quam prodiret, praefocantes novorum quorumdam interpretum opinionem , qui parvulorum hujusmodi mortem ante susceptam originalis noxae expiationem ex quodam affectu Divinae erga ipsos misericordiae, aut etiam ob pietatem parentum remunerandam docuerunt obvenire ; Deo scilicet ob merita Redemptoris non permittente peccata , quae praeviderat , quemadmodum insigni , ut S. Prosper observat (1), absurditate dicitur , futura illorum infantium si vitam illis per miraculum extendisset usque ad adultam aetatem (2).

§. CXVIII.

Sententiam de damnatione parvulorum non regeneratorum ad aeternam poenam etiam ignis , quam S. Augustinus tam valide adversus Pelagianos medium quemdam felicitatis locum promittentes defendit (3), quam testatur se firmissime te-

(1) Epist. ad Augustin. inter Augustinian. CCXXV. n. 5.

(2) Vid. Epist. quinq. Episcop. Gallor. ad Innoc. XII. de Libro, cui titulus; *Nodus praedestinationis dissolutus*; et Hard. in Digress. de Praedestinat. p.463. c.1.

(3) Vid. Serm. CCXCIV. de Baptis. Parvul. al. XIV. de verb. Apost. n. 3. et seq. item de peccat. mer. Lib. I. n. 21. 40. 41. et seq. usq. ad 53. , et Lib. III. n. 3. 7. et Lib. I. de anim. et ejus origine, n. 11. , et Lib. I. contra duas Epist. Pelag. n. 40. et Op. imp. L. I. c. 50. , et Lib. III. c. 199.

pere (1) et habere certissimam (2); quin et fidem esse totius Ecclesiae (3), quod etiam censuit S. Fulgentius in libro, quem de Fide ad Petrum conscripsit (4), cujus verba sub nomine Augustini in Canonem retulit Gratianus (5); censuerunt et Episcopi Africani pro Fide Catholica in Sardinia exules (6): unde tam isti, quam S. Fulgentius eamdem sententiam inter regulas fidei connumerarunt: quam denique consecrasse visa est, Petavio (7) Synodus Florentina, cum docuit (8), *illorum animas, qui in actuali mortali peccato, vel cum solo originali decedunt, mox in infernum descendere; poenis tamen disparibus puniendas*; hanc, inquam, sententiam probavisse videtur Angelicus in suis super Epistolam Pauli ad Ephesios lectionibus. Nam quod ait Apostolus (9), *Eramus natura filii irae sicut et caeteri*; sic exponit, ut dicat (10): Nos per originem naturae, ut vitiata est esse filios irae, idest vindictae, poenae, gehennae; et hoc sicut caeteri, idest gentiles. Et licet ex-

(1) Epist. CLXVI. al. XXVIII. ad Hieron. n. 5. et Epist. CCXVII. al. CVII. ad Vitalem n. 16. Sentent. I. et VIII.
(2) Lib. de Don. Persev. n. 30.
(3) Lib. II. Op. imp. c. 117.
(4) Lib. de Fid. ad Petrum n. 70.
(5) De consecrat. dist. 3. can. *Firmissime*.
(6) In Epist. Synod. c. 7.
(7) Lib. IX. Theolog. dogmat. c. 10. §. 12.
(8) Sess. ultima.
(9) Ephes. II. 3.
(10) Lect. I. in cap. II. Epist. ad Ephes.

exponens Magistrum sententiarum ejus opinionem negantem, quae communior erat in scholis: amplectatur (1); in eodem tamen opere (2) fatetur, peccato originali non tantum deberi carentiam visionis pro poena, sed etiam subjecti annihilationem; ex quibus Angelici verbis infert Illustriss. Godoy magni nominis Theologus (3), obnoxios peccato originali poena sensus ex rigore fuisse mulctandos: quia juxta Angelici principia poena sensus tendit quodammodo ad subjecti annihilationem. Imo Clariss. Sylvius scribit (4), quod si S. Thomas suam summam Theologicam absolvisset, in cujus tertiam partem rejecerat hanc quaestionem, (ut ex eodem (5) habemus), non deest ratio existimandi, ipsum in partem aliam fuisse declinaturum; quia lib. 3. contra Gentes c. 159. habet pro absurdo, quod sint aliqui homines, qui nec beatitudinem consequantur, nec poenam a Deo patiantur.

§. CXIX.

Quod si parvulus propter originale peccatum mittitur in damnationem; quanta puniendus erit severitate supplicii adultus, quia a reatu, quem nascendo contraxit, solvi, renascendo in Christo, vel neglexerit, vel etiam contempserit; cum ipse neglectus, multoque magis contemptus damnabilis sit! Aut quid ei proderit Sacramentum Christi, sine

(1) In II. Sentent. d. 33. q. 2. a. 2.
(2) In IV. Sentent. d. 46. q. 2.
(3) Disput. 38. de Peccatis §. 3.
(4) In 1. 2. q. 86. a. 6.
(5) Vid. 1. 2. q. 89. a. 6. in 4.

sine fide in Christum (1), per quam ei conjungatur, et fiat membrum ejus? Si autem in Christum credit: profecto Christianam Religionem veram habet, atque in eam cooptatur, dum sacramento Christi, quod nunc est Baptisma, initiatur.

§. CXX.

Quod ergo ajunt Naturalistae, ad veram justitiam sufficere fidem in Deum, qua credatur, quod est, et inquirentibus se sit remunerator; admitteretur, si de illa natura sermo esset, quae primum inculpata, et sine ullo vitio creata est. Sed postquam magni illius peccati merito, quod e Paradiso primum hominem dejecit, illa periit integritas, et mortui sumus in delictis, opus est nobis vivificatore, qui ad vitam spiritualem nos revocet. Itaque sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem; sic et per unius justitiam in omnes homines in justificationem vitae (2); quia nimirum (3) sicut nullius carnalis generatio nisi per Adam; sic spiritualis ad vitam justitiae nullius, nisi per Christum. Ipse enim (4) est semen Abrahae, in quo benedicendae promissae sunt omnes gentes (5): Ipsum, qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit Pater, idest sacrificium pro peccato, ut nos efficeremur justitia Dei

(1) Vid. S. Aug. Quaest. XXXIII. in Numeros n. 11. et Tr. LIII. in Joan. n. 10.
(2) Rom. V. 18.
(3) Vid. S. Aug. L. I. de pec. mer. n. 18. et 19.
(4) Galat. III. 16.
(5) Genes. XXII. 18.

Dei in ipso (1), justificati gratis per sanguinem ipsius, quem proposuit Deus propitiationem per fidem propter remissionem praecedentium delictorum (2). Porro si humana natura credendo in Deum, qui fecit coelum et terram, a quo et se factam naturaliter sensit, nulla fide passionis Christi, et resurrectionis imbuta, justitiam consequi posset, et recte vivendo divinam implere voluntatem; profecto quod de lege scripta dixit Apostolus (3), multo justius dici poterit de lege naturae, quam accipit universum genus humanum: Si per naturam justitia; ergo Christus gratis mortuus est. Si autem non gratis Christus mortuus est; ergo omnis humana natura justificari, et redimi ab ira Dei justissima nullo modo potest, nisi per fidem, et sacramentum sanguinis Christi (4).

§. CXXI.

Atque hoc loco non possumus non vehementer mirari, nuperos quosdam scripturarum interpretes, qui caeteroquin catholico nomine censeri volunt, veritos non fuisse docere, quod spiritus fidei in Deum cognitum praecise ut unum, et ut remuneratorem omnibus inquirentibus se; erat spiritus adoptionis in lege naturali communis, usque ad Evangelii promulgationem, omnibus gentibus, et qui ipsos quoque legis scriptae observatores efficeret

ceret

(1) II. Cor. V. 21.
(2) Vid. Rom. III. 24. et 25. et Cap. V. 9.
(3) Galat. II. 21.
(4) Vid. S. Aug. Lib. de Nat. et Grat. n. 2.

ceret filios Dei; ac praeterea quod in sacris litteris ii solum dicantur electi, qui in veteri quidem Testamento cultum veri numinis, in novo fidem Christi amplexati sunt. Hoc nimirum est repugnare doctrinae traditae in Sacrosancta Synodo Tridentina docente, nemini sine fide in Christum unquam contigisse justificationem (1). Hoc, ut observat S. Augustinus (2), est distinguere tempora cum Pelagio, qui dicebat, primum vixisse justos homines ex natura; cum duce ratione cognoscebatur Creator, et quemadmodum esset vivendum scriptum gerebatur in cordibus non in lege litterae, sed naturae: deinde sub lege; cum, vitiatis moribus, ubi coepit non sufficere natura jam decolor, lex ei addita est, qua, velut lima, splendori pristino, detrita rubigine, redderetur: tertio sub Gratia; cum posteaquam nimia peccandi consuetudo praevaluit, cui sanandae lex parum valeret, Christus advenit, et tamquam morbo desperatissimo, non per discipulos, sed per se medicus ipse subvenit. Hoc idem est ac asserere, non solum legem, ut Coelestius ajebat (3); sed et naturam sic mittere ad regnum, quomodo Evangelium. Ut proinde tolerabilior sit error Naturalistarum, quippe qui per fidem in Deum ut unum beatitudinem quidem obtineri ab homine doceant, sed naturalem illam, quam ipsi confingunt; nuperi

(1) Sess. VI. cap. 7.
(2) Lib. de Peccat. origin. n. 30.
(3) Vid. S. Aug. L. de Gest. Pelag. n. 23.

peri autem hujusmodi interpretes per solam fidem in Deum ut unum dicunt veteres justos prometuisse beatitudinem supernaturalem. Hoc denique quid aliud est, quam (1) antiquos justos excludere a Gratia Mediatoris, tamquam Dei, et illorum hominum non fuerit mediator Christus Jesus, quia nondum ex utero Virginis carne suscepta, homo nondum fuit, quando illi justi fuerunt; nobis autem ad hoc tantum profuisse Christum, ut facilius per ipsum beatitudinem consequi possemus; quam tot alii sine ipso consecuti sint, et nos pariter sine ipso consequi, licet difficilius, potuissemus; ut omnino credatur, Cristum gratis mortuum fuisse?

§. CXXII.

Nos itaque agnoscentes, quod quisquis humanam contendit in qualibet aetate naturam non indigere Medico secundo Adam, sive vitiatam nobiscum, sive non vitiatam in primo Adam cum Pelagianis agnoscat, non in aliqua quaestione, in qua dubitari, vel errari, salva fide, potest; sed in ipsa regula fidei, qua Christiani sumus, gratiae Dei convincitur inimicus (2); adversus nuperos illos interpretes propugnamus, quod de massa perditionis, quae facta est possessio perditoris, nemo, nemo prorsus liberatus est, aut liberabitur; nisi gratia Redemptoris (3): quodque non sine fide in Christum antiqui justi, ut justi essent, a peccatis po-

(1) Vid. S. Aug. L. de Pec. orig. n. 31.
(2) S. Aug. L. de pec. orig. n. 34.
(3) Vid. ibid. et Epist. CXC. al. CLVII. ad Optatum n. 4.

potuerint mundari, et Dei gratia justificari: quemadmodum veritas Christiana non dubitat (1). Propterea ab initio generis humàni prophetari non destitit Christus, alias occultius, alias evidentius, sicut congruere temporibus divinitus visum est (2): ut salvi fierent homines credendo, quia veniet Christus; sicut nos salvi efficimur credendo quia venit (3): et mutata quidem sunt sacramenta; oportebat enim aliis sacramentis Christum praenuntiari, cum venturus esset; aliis cum venisset annuntiari (4); non tamen ideo fides ipsa variata, vel salus diversa est (5); sed eumdem imo, teste Apostolo (6), habemus spiritum fidei.

§. CXXIII.

Nec solum quantum ad Incarnationem; sed etiam quantum ad Passionem, et Resurrectionem, quibus humanum genus a peccato et morte liberatur, creditum fuit post peccatum mysterium Incarnationis Christi a veteribus justis; aliter enim non praefigurassent Christi passionem quibusdam sacrificiis et ante legem, et sub lege: quorum qui-

(1) Vid. cit. Lib. de Peccat. orig. n. 28.

(2) Vid. Lib. de sex Quaestionib. contr. Paganos q. 2., sive Epist. CII. al XLIX. ad Deogratias n. 15., et L. de Catechiz. Rudibus n. 6.

(3) Vid. S. Aug. Lib. de Catechiz. Rudibus n. 28., et S. Th. 3. p. q. 6. a 3. ad 3.

(4) Vid. S. Aug. Epist. CXXXVIII. al. V. ad Marcellin. n. 8.

(5) Vid. S. Aug. Ep. CII. al XLIX. ad Deogratias n. 12.

(6) I. Cor. IV, 15.

quidem sacrificiorum significatum explicite majores cognoscebant; minores autem sub velamine illorum sacrificiorum, credentes ea divinitus esse disposita de Christo venturo, quodammodo habebant velatam cognitionem (1). Erant proinde, etsi nondum nomine, reipsa tamen Christiani: quia ex fide, qua nos vivimus, una eademque vixerunt: incarnationem, passionem, resurrectionem Christi credentes futuram, quam nos credimus factam (2).

§. CXXIV.

Patet hinc quanta absurditate negetur a nuperis iisdem interpretibus, Gratiam illam, quae ante Christi adventum homines justificabat, effecisse eosdem membra, fratres, et cohaeredes Christi, et tales, de quibus dici possit, quod sint Christi. Quod si ita esset, ut perspecte adnotat. S. Augustinus (3), nequaquam Apostolus diceret (4): *Per hominem mors, et per hominem resurrectio mortuorum; sicut enim in Adam omnes moriuntur, sic et in Christo omnes vivificabuntur*. Quandoquidem illi antiqui justi, secundum istorum vaniloquia, Mediatore homine Christo, non indiguerunt, per quem reconciliarentur Deo; nec in eo vivificabuntur, ad cujus corpus et membra, secundum id, quod propter homines homo factus est, non pertinere dicuntur. Si autem, quemadmodum per Apostolos suos veritas loquitur, sicut in Adam omnes

(1) Vid. S. Th. 2. 2. q. 2. a. 7. in c.
(2) Vid. S. Aug. L. III. c. duas Epist. Pelag. n. 11.
(3) de Peccat. orig. n. 31.
(4) I. Cor. XV. 21.

omnes moriuntur, sic et in Christo omnes vivificabuntur (1); quia per illum hominem mors, per istum hominem resurrectio mortuorum (2); quis audeat dubitare Christianus, etiam illos justos, qui recentioribus generis humani temporibus Deo placuerunt, ideo in resurrectionem vitae aeternae, non mortis aeternae esse venturos, quia in Christo vivificabuntur, ideo autem vivificari in Christo, quoniam ad Corpus pertinent Christi; et ideo pertinere ad corpus Christi, quia et ipsis caput est Christus; ideo et ipsis caput esse Christum, quia unus Mediator est Dei, et hominum homo Christus Jesus? Quod eis non fuisset nisi in ejus resurrectionem per ejus gratiam credidissent, ac per hoc nisi eum in carne venturum esse novissent, atque ex hac fide juste, pieque vixissent.

§. CXXV.

Manifestum est etiam; quanta assurditate ab iisdem nuperis interpretibus asseratur, Religionem: qua Deus per Christum et in Christo, qui venit, nunc colitur, ab ea, qua colebatur Deus ante Christum, qui venturus erat, et intuitu Christi acceptabatur, essentia sua totam esse distinctam. Cum enim primum praeceptum, hoc est initium Religionis sit credere (3): cum justus ex fide vivat (4): cum non alias salutes oporteat intelligi, dum

(1) Ibid. vers. 21.
(2) Ibid. cit. vers. 21.
(3) Vid. S. Aug. Serm. 38. al 245. de Tempore n. 5.
(4) Habacuc II. 4. et Galat. II. 11.

dum una eademque fidelium, et piorum liberatio vel significatur, vel manifestatur (1); cum denique non alius sit Christus; qui credebatur venturus; alius quem credimus jam venisse (2); evidens est, unam eademque veram religionem esse, quae pro congruentia temporum diversa habuit sacra, et sacramenta, non humana temeritate inducta, sed divina voluntate dispensata (3). Mutatio nempe est non Dei, non ipsius religionis, sed sacrificiorum, et sacramentorum. Quemadmodum enim unus idemque homo, si Deo mane aliud offerat, aliud vespere, pro congruentia diurni temporis, non Deum mutat, nec religionem; sicut nec salutem, qui alio modo mane, alio vespere salutat; ita in universo tractu saeculorum cum aliud oblatum est ab antiquis Sanctis, aliud ab eis, qui nunc sunt, offertur, non humana praesumptione, sed auctoritate divina; temporibus congrua sacra mysteria celebrantur, non Deus, aut religio commutatur (4).

§. CXXVI.

Neque vero quia adventum Christi praecesserunt veteres illi justi, non fuerunt membra Christi. Imo plane fuerunt. Ipse enim unigenitus Dei Filius, homo propter nos factus est, ut totius Ec-

cle-

(1) Vid. S. Aug. Ep. CII. al. XLIX. ad Deogratias n. 12.

(2) Vid. ibid.

(3) Vid. ibid. n. 14. et 12.

(4) Vid. ibid. n. 21. Vid. et Ep. CXC. al. CLVII. ad Optatum n. 6.

clesiae, tamquam totius corporis, caput esset. Sed velut totus homo dum nascitur, etiamsi manum in nascendo praemittat, tamen universo corpori sub capite conjuncta, atque compacta est; quemadmodum etiam nonnulli in ipsis Patriarchis ad hujus ipsius rei signum manu praemissa nati sunt (1); ita omnes Sancti, qui ante Domini nativitatem in terra fuerunt, quamvis ante nati sunt, tamen universo corpori, cujus ille caput est, sub capite cohaeserunt (2). Aut quidquam novorum illorum interpretum causam, quam oppugnamus, juvat, quod Apostolus asserat (3), novi testamenti Mediatorem esse Christum; ac necesse esse, ut mors intercedat Testatoris; quia testamentum in morte confirmatur, nec valet quamdiu vivit, qui testatus est. Nec enim (4) Apostolus adaequatam instituit comparationem novi testamenti per Christum, cum testamentis hominum; sed in eo dumtaxat, quod sicut in quolibet testamento necesse est, ut mors intercedat testatoris, ita necesse pariter fuit, ut Christus mortem subiret. Caeterum valuit utique testamentum propter praescientiam, et acceptationem Patris, qui mortem filii sui futuram aspiciens, acceptavit ut factam; ut in electis tempus mortis Christi praegressis eas saltem impleret testamenti partes, quas impleri contingit in hac

(1) Vid. Genes. XXV. 25.
(2) Vid. S. Aug. Lib. Catechiz. Rudib. n. 6. et 33.
(3) Haebrae. IX. 15. 16. 17.
(4) Vid. Estium in cap. IX. Epist. Pauli ad Hebreos ad vers. 17.

in hac vita, ut sunt omnes partes justificationis nostrae.

§. CXXVII.

Absit igitur ab auribus, multoque magis a cordibus fidelium ingrata illa Redemptori nostro, eiusque dignitati injuriosa opinio, quam excogitarunt illi nuperi interpretes, Christum scilicet non antea ad justitiam, et salutem prodesse potuisse, quam venisset, actuque exercito passionem, et mortem subiisset, ac Deo pro hominibus satisfecisset. Absit inquam à fidelibus, ut ita divinis dispensationibus obloquantur, tanquam praeteritis temporibus non sit impensum, quod in ultima mundi aetate est gestum. Verbi incarnatio, ut praeclare S. Leo Magnus ajebat (1), hoc contulit facienda, quod facta; et sacramentum salutis humanae in nulla unquam antiquitate cessavit. Quod praedicaverunt Apostoli, hoc annuntiaverunt Prophetae: nec sero est impletum, quod semper est creditum. Non itaque novo consilio Deus rebus humanis, nec sera miseratione consuluit; sed a constitutione mundi unam eamdemque causam salutis instituit. Gratia enim Dei, qua semper est universitas justificata Sanctorum, aucta est, Christo nascente, non coepta; et hoc magnum pietatis sacramentum, quo totus jam mundus impletus est, tam potens etiam in suis significationibus fuit, ut non minus adepti sint, qui in illud

(1) Serm. III. in Nativ. Domin. c. 4.

credidere promissum, quam qui suscepere donatum.

§. CXXVIII.

Sed in eam absurditatem nuperi illi interpretes fortasse devenerunt, quod non minori absurditate putaverint, ab Adami peccato obligationem satisfaciendi Deo ad aequalitatem transfusam fuisse naturaliter una cum omnibus primogeniturae juribus in omnes primogenitos non interrupta serie ab Adam succedentes, in quibus tamen suspensa manserit, quia solvendo pares non erant: Christum autem, quia natus est de Maria desponsata Joseph de domo David, in quem omnia illa primogeniturae sive jura, sive debita collecta fuissent, contraxisse vi natalium suorum naturalem obligationem fundatam in rigore justitiae, solvendi scilicet debiti pro universo hominum genere, seque devovendi pro omnium salute, et redemptione, tanquam omnium caput morale. Hoc enim si statuatur, consequens erit utique, quod quamdiu suspensa mansit in primogenitis illa obligatio, neque fuit a Christo adimpleta, nemo beneficii praestandi per ipsum particeps fuerit; multoque magis, si cum illis interpretibus asseratur, Deum exigere potuisse, ut tanta pateretur Christus, quanta passus est: et tamen Christum, non obstante illa obligatione naturali satisfaciendi Deo, seque devovendi pro salute hominum, potuisse non acceptare impositas sibi per Patris praeceptum conditiones satisfactionis, et exhibere dumtaxat leviusculae poenae tolerantiam, tamquam satisfa-

ctio-

ctionem in se quidem sufficientem, atque ad aequalitatem propter dignitatem offerentis; sed quam Deus non teneretur acceptare, ejusque merito reconciliari hominibus.

§. CXXIX.

Nos hujusmodi humani ingenii figmentum, cujus nullum extat vel in Scriptura, vel in Traditione vestigium, ab historica veritate alienum esse ostendimus, cum nec David ex cujus familia erat Joseph, fuerit primogenitus Isai patris sui, nec Salomon Davidis, ut proinde debitum illud satisfaciendi, quod in solos primogenitos transfundebatur ad Joseph pervenire minime potuerit; neque etiam si pervenisset ad Joseph, transmitti poterat ad Christum, ad cujus generationem nihil omnino contulit Joseph. Tum vero ex eo refutamus, quod satisfactio Christi, illa hypothesi admissa, non fuisset ex indebitis, sed ex naturali obligatione vi natalium profecta, cui deesse non posset Christus sine peccato, utpote eidem adimplendae factus idoneus liberalitate donorum sibi a Deo in eum finem, ut scilicet pro humano genere satisfaceret, collatorum. Non aliam itaque obligationem satisfaciendi pro nobis agnoscimus in Jesu Christo filio Dei, praeter illam, quam ipse Dei filius ex sua erga nos misericordia, et caritate, suscepit tamquam homo, per actum liberum suae humanae voluntatis submittens se praecepto Patris, quod praeceptum erat etiam ipsius filii, ut Deus, Patrique consubstantialis, et Spiritus Sancti, quorum una, summe libera, incom-

mutabilique voluntate decreta est incarnatio Filii Dei, ejusque in assumpta humana natura passio, et mors ad satisfactionem Divinae justitiae, ac redemptionem, et reconciliationem hominum. Ubi ergo advenit plenitudo temporis, Filius Dei, ut exequeretur comune consilium, homo factus est. Ingrediens autem mundum, ut testatur Apostolus (1), hoc est ipso incarnationis momento, dicit: *Hostiam, et oblationem noluisti, corpus autem aptasti mihi: holocautomata pro peccato non tibi placuerunt. Tunc dixi; ecce venio; in capite libri scriptum est de me, ut faciam, Deus, voluntatem tuam.* Quod dicendo, ut idem subdit Apostolus (2), aufert primum ut sequens statuat, abrogatis videlicet sacrificiis veteris legis, quae ipsum praefigurabant venturum, statuit sacrificium, et oblationem sanguinis sui: quae quidem oblatio valoris fuit infiniti; atque adeo satisfactio per Christum exhibita habuit aequalitatem cum injuria Deo per peccatum irrogata; neque enim pretium actionum, et passionum Christi fundatur supra ipsius humanitatem, ut nuperi illi interpretes comminiscuntur; ut nimirum valorem habuerint, in quantum eliciebantur effective a natura Christi humana; sed utique quia erant Verbi ea, quae hominis sunt, operantis per naturam humanam quae propter hypostaticam unionem in jus Verbi trans-

(1) Hebrae. X. 5. 6. 7. ex Psalm. XXXIX. 7. 8. 9.
(2) Cit. cap. X. ad Hebrae. vers. 9.

translata erat, et ad ipsum peculiari illo titulo subsistendi pertinebat, ac per hoc nulli debito poterat esse obnoxia.

§. CXXX.

In caussa igitur duorum hominum, quorum per unum venumdati sumus sub peccato, per alterum redimimur a peccato; per unum praecipitati sumus in mortem, per alterum liberamur ad vitam, in horum, inquam, duorum hominum caussa proprie fides Christiana consistit (1), in qua sola vera Deo vero veraciter, fideliterque servitur. Intelligenda nimirum est, quae facta fuit per Adam massa peccati, massa irae, euntibus omnibus ex uno in condemnationem sine dubitatione justissimam: ita ut nulla Dei esset justa reprehensio, etiamsi nullus inde liberaretur (2). Simul autem intelligenda est gratia Dei per Jesum Christum, qua de illa perditionis massa liberantur quicumque liberantur.

§. CXXXI.

Gratia autem si ex operibus, jam non est gratia (3). Quare jure ac merito vocem illam Coelestii plenam blasphemiae, Gratiam Dei secundum merita nostra dari, catholica fides exorruit, ac Pelagio tamquam capitale crimen objecit: quod ipse Pelagius, non quidem amore veritatis Dei,

 ut

(1) S. Aug. Lib. de Peccat. origin. n. 28. Vid. et Epist. CXC. al. CLVII. ad Optatum n. 3. et Serm. XXX. al. XII. de Verb. Apost. n. 5.

(2) Vid. S. Aug. Lib. de Praedest. SS. n. 16.

(3) Rom. XI. 6.

ut posteriora ejus scripta indicant, sed tamen metuens damnari in Conventu Diospolitano anathematizavit (1). Non igitur audiendi sunt Semipelagiani, qui ad Gratiam, qua in Christo renascimur pervenire hominem docent per naturalem facultatem petendo, quaerendo, pulsando: eoque merito, quo quis voluerit, et crediderit a suo morbo se posse sanari, et ipsius fidei augmentum, et totius salutis suae consequi effectum (2). Nec illi audiendi, qui docent, homini facienti quantum est in se ex viribus naturae gratiam non denegari, ipsamque adeo expresse asserunt conferri propter praecedentem aliquem bonum usum liberi arbitrii: quamquam ne capitali errori Pelagiano consentire videantur, gratiam asserunt bono usui liberi arbitrii conferri non ratione meriti, quod ad gratiam comparandam habeat bonus liberi arbitrii usus, sed vi pacti cujusdam, quod comminiscuntur initum inter Deum Patrem, ac Jesum Christum de conferendo supernaturalis gratiae auxilio hominibus facientibus quantum est in se ex viribus naturae: quod tamen pactum et commentum est; atque, ut ait Clerus Gallicanus in generalibus Comitiis an. MDCC. non solum tacente, verum etiam repugnante scriptura, et SS. Patrum traditione prola-

(1) Vid. S. Aug. Lib. de Gest. Pelagii n. 30. 40. et L. II. c. duas Epist. Pelagian. n. 10., et Lib. de Don. Persev. n. 56.

(2) Vid. S. Prosper. Epist. inter Augustinian. CCXXV. n. 4. et Hilar. Epist. inter Augustinian. CCXXVI. n. 2.

latum (1); eoque posito, vicissent profecto Pelagiani; inveniretur quippe homo aliquid prius dedisse Deo, ut retribuatur ei; et posset accipiens gratiam, inflare se adversus alium sub eodem pacto constitutum, quod haberet ex se aliquid non acceptum munere Dei, quidquid nempe praestitit per solas naturae, et arbitrii vires, et per hujusmodi opera jure ac merito sese ab alio discerneret: et culpandus esset inscitiae Apostolus Paulus, qui quaerens cur alios Deus ad fidem adduxerit, alios in infidelitate concluserit, refudit id (2) in altitudinem divitiarum sapientiae, et scientiae Dei, cujus sunt investigabiles viae, et incomprehensibilia judicia. Caeterum figmentum hoc auctorem suum deserit, non solum cum innumerabilium ei obiicitur turba parvulorum, quorum aliis ut ad baptismi gratiam veniant, confertur; aliis non confertur divinitus: sed multo magis cum venitur ad gratiam, qua factus est Christus (3); neque enim pactum illud, quod fingitur, adhuc statutum erat, quod per ipsum Christum statutum asseritur, ut fieret ille caput nostrum et ad unionem ineffabilem cum Verbo Dei natura in illo sublimaretur humana. Est autem illa gratia exemplar ejus, qua fit ab initio fidei suae homo quicumque

 Chri-

(1) Vid Natal. Alex. Theolog. Mor. Tom. II. in Append. altera varior. monument. p. 59. col. 1. edit. Venet. 1705. Vid. et S. Th. 1. 2. q. 112. a. 3.

(2) Rom XI. 33.

(3) Vid. S. Aug. Lib. de Praedestin. SS. n. 30. et 31. et Lib. de Don. Persev. n. 67.

Christianus: ut nimirum sicut nullis suis praecedentibus meritis, nulloque praevio existente pacto factus est ille Christus, ita gratuita prorsus misericordia fiat homo christianus (1).

§. CXXXII.

Caeterum frustra Theologisti, quorum improbamus sententiam, ut se gratuitam gratiam profiteri persuadeant, inquiunt, se naturalibus illis desideriis, et liberi arbitrii conatibus rationem meriti non concedere. Nec Semipelagiani de meriti voce erant solliciti; imo in id maxime contendebant; ut ostenderent, se a damnato dogmate Pelagiano prorsus recedere (2). Nihilominus, quoniam gratiam Dei conatibus illis pedissequam statuebant, non praeviam, consequens putabant Catholici, in illorum sententia, gratiam secundum merita dari; cum fieri nequeat, ut nullius meriti sit fides, et cupiditas boni (3). Denique effugium omne ut Semipelagianis, ita et Theologis, quos refellimus; praeclusit Synodus Arausicana II. quae (4), nulla facta commemoratione meriti, anathema eis dixit, qui conatibus naturae subjungunt Gratiae adjutorium.

§. CXXXIII.

Nec audiendi sunt nuperi quidam interpretes, qui

(1) Vid. S. Aug. cit. n. 30. et 31. de Praedest. SS. et cit. n. 67. de Dono Pers.

(2) Vid. Cassian. collat. XIII. c. 13. et 17.

(3) Vid. S. Aug. Lib. de Praedestin. SS. n. 4. et S. Prosper. Lib. c. Collator. n. 8. 32.

(4) Can. III. IV. V. VI.

qui fingunt, Deum efficacis gratiae collationem huic conditioni gratuito alligasse; ut scilicet nunquam detur alicui gratia efficax, nisi aut ex merito alieno, aut pro praemio operis facti bene ex gratia, cujus concipiatur Deus quasi nescire effectum ante eventum. Merces quippe est, quae imputatur secundum debitum, nec receditur a sententia Pelagiana, Gratiam Dei secundum merita dari; quia et consensus, qui illi primae gratiae praestatur omnino est a libero arbitrio, quin in psum quidquam influat illa eadem gratia, usque adeo, ut et ipse Deus concipiatur quasi nescire effectum ante eventum: et notissimum est, Pelagianos non praecise meritum proprium; sed etiam alienum statuisse: unde S. Augustinus, cui perspectae erant omnes Pelagianorum latebrae illud sibi demonstrandum assumpsit, Gratiam neque secundum propria recipientium merita dari, neque secundum merita parentum, aut aliorum quorumlibet; et ubique habet certissimum, non esse gratiam gratuitam, ac per hoc omnino non esse gratiam, si vel propriis, vel alienis meritis retribuatur (1). In eo vero quod addunt memorati interpretes, primas illas gratias inefficaces non cadere quidem sub meritum, esse tamen debitas homini viatori (quod sane quomodo cohaereat cum hypothesi naturae purae, quam admittunt, intelligi

(1) Vid. S. Aug. Lib. II. contr. duas Epist. Pelag. n. 11. 14. 15. 16. Vid. et Ep. CXCIV. al. CV. ad Sixtum n. 37. 38.

telligi minime potest); ostendunt, se non satis percipere vim, et effectus originalis peccati. Massae enim damnatae quid aliud debetur, nisi damnatio? ac per hoc gratia quibus datur, ex misericordia datur; quibus autem non datur, ex judicio non datur, estque ejus subtractio poena peccati justissima (1).

§. CXXXIV.

Neque vero idcirco negamus esse petendum, quaerendum, pulsandum, ut accipiamus, ut inveniamus, ut aperiatur nobis (2); aut oportere nos orare pro invicem, ut salvemur (3); aut multum valere deprecationem justi assiduam (4). Fatemur imo, alia Deum danda nonnisi orantibus praeparasse, inter quae est Perseverantia usque in finem (5): fatemur, quosdam fortassis sic esse praedestinatos, ut nostris orationibus concedantur, et accipiant eamdem gratiam, qua velint, atque efficiantur electi (6); quomodo se donatum fidelibus et quotidianis Matris suae lacrimis agnovit S. Augustinus (7): fatemur denique, quod etiam peccatores veniam suorum criminum petentes, quam non merentur, Deus exaudit; alias frustra ille pu-

(1) Vid. S. August. Lib. de Corrept., et Gratia n. 32.
(2) Lucae XI. 9.
(3) Jacobi V. 6.
(4) Ibid.
(5) Vid. S. Aug. Lib. de Don. Persev. n. 39.
(6) Vid. ibid. n. 60.
(7) Vid. ibid. n. 53.

publicanus (1) oculos in terram demittens, et pectus suum percutiens, dixisset: Deus propitius esto mihi peccatori; quae tamen confessio meruit justificationem (2). Sed meritum orationis, et fidei innititur misericordiae, non autem justitiae; non enim (3) in justificationibus nostris prosternimus preces ante faciem Domini, sed in miserationibus ejus multis (4). Nec gratiam Dei aliquid meriti praecedit humani cum fides impetrat justificationem; sed ipsa gratia meretur augeri, ut aucta mereatur et perfici, comitante, non ducente, pedissequa, non praevia voluntate (5); et cum adjuvat justum non meritis redditur, sed id adjuvat, quod ipsa largita est (6). Neque ideo Deus aliqua beneficia nonnisi orantibus confert, quasi aliquod meritum nostrum debeat praecedere; cum utique possent nobis etiam non orantibus dari, sicut alia multa; sed oratione nostra voluit nos Dominus admonere, a quo haec beneficia accipiamus (7).

§. CXXXV.

Non itaque Gratiam praeveniunt merita; sed Gra-

---

(1) Lucae XVIII. 13.
(2) Ibid. vers. 14. vid. et S. Aug. Tract. XLIV. in Joan. n. 13. et s. Thom. 1. 2. q. 114. a. 9. ad 1.
(3) Daniel. IX. 18.
(4) Vid. S. Th. 1. p. q. 114. a. 6. ad 2.
(5) Vid. S. August. Epist. CLXXVI. al CVI. ad Paulinum n. 10.
(6) Vid. S. Aug. Lib. de Patient. n. 17.
(7) Vid. S. Aug. Lib. de Dono Persev. n. 15.

Gratia praevenit, et inchoat omne meritum (1); et in omnibus *illius misericordia praevenit nos* (2), qui non propter nos, quasi scilicet tale aliquid mereamur, sed propter magnum nomen suum sanctum, *aufert ab homine cor lapideum*, quod jam utique non esset, si bona praecessisset voluntas (3), *et donat cor carneum*, *et facit*, *ut in praeceptis ejus ambulemus*, *novumque spiritum dat in nobis* (4) *a quo etiam praeparatur voluntas* (5), *et diriguntur gressus hominis*, *ut viam ejus velit* (6); *nobisque donatur non solum ut patiamur pro Christo*, *sed etiam ut credamus in eum* (7): non tantum ut plenius, et perfectius, sed omnino ut credamus in eum; ubi est et ipsum fidei initium (8): unde et Apostolus (9) non se dicit *misericordiam consecutum*, quia fidelis erat, aut ut fidelior esset, sed omnino *ut fidelis esset*.

§. CXXXVI.

Fides igitur et inchoata, et perfecta non est nobis, ex

---

(1) Vid. S. Aug. Lib. I. ad Simplic. q. II. n. 7. et Lib. de Patienr. n. 17.

(2) Psalm. LVIII. 11.

(3) Vid. S. Aug. Lib. de Grat. et Lib. Arb. n. 29.

(4) Vid. Ezech. XI. 19., et XXXVI. 26. 27.

(5) Proverb. VIII. Sec. LXX.

(6) Psal. XXXVI. 24.

(7) Philip. I. 29.

(8) Vid. S. Aug. Lib. de Praedest. SS. n. 4.

(9) 1. Cor. XII. 6. Vid. et S. Aug. cit. loc.

ex nobis, sed Dei donum est (1), qui et aperit cor, ut incendatur iis, quae a praeconibus veritatis annunciantur (2), et unicuique partitur mensuram fidei prout vult (3). Divini itidem muneris est non solum cum pedes nostros a falsitate, et injustitia continemus, verum etiam cum recte cogitamus (4); nec solum diligere ut faciamus, sed etiam scire quid facere debeamus (5): ac per gratiam ejus; qui (6) in nobis operatur et ipsum velle nostrum, fit, ut sit homo voluntatis bonae, qui prius fuerat voluntatis malae; ut quae ipsa bona voluntas; quae jam esse coepit, augeatur, et tam magna fiat, ut possit implere divina mandata (7); nec nisi dono Dei habemus, quod vigilanter conemur, ipsumque deprecemur ardenter (8): quin neque ipse saltem orationis affectus habetur in nobis, nisi divinitus fuerit attributus (9), et hoc ipsum quoque opus Gratiae est, ut deside-

re-

(1) Ephes. II. 8. Vid. et S. Aug. de Praedest. SS. n. 16.
(2) Vid. Act. XVI. 14.
(3) Rom. XII. 3.
(4) Arausic. II. Can. IX.
(5) Carthagin. Can. V.
(6) Philip. II. 13.
(7) Vid. ..Aug. Lib. de Grat., et liber. arbitr. n. 31.
(8) Vid. Eumdem Lib. II. de pecc. merit. n. 33. et de Dono Persev. n. 64.
(9) Vid. S. Aug. cit. n. 64. de Don. Persev.

remus adjutorium Gratiae (1); imo etiam hoc, ut vel non ponamus, vel removeamus obicem gratiae (2), utque eidem gratiae consentiamus, donum Dei est (3), qui sic agit hominis sensum, ut legi, atque doctrinae accomodet consensum (4), atque efficit in nobis in bono, quod nobis largitur recipiendo, non solum posse, quod volumus, sed etiam velle, quod possumus (5). Denique Deus est, qui et erigit elisos (6) et custodit diligentes se (7), et de tentationibus dat nobis victoriam per Christum Jesum (8), et opus bonum, quod in nobis coepit, perficit usque in diem Christi Jesu, donando Perseverantiam (9), et Spiritus ejus est, ut sciamus quia haec sunt dona Dei (10). Uno verbo, si quid habet homo veritatis, atque justitiae, ab illo fonte est, quem debemus sitire in hac eremo, ut ex eo, quasi guttis quibusdam irrorati non deficiamus in via (11): sicque Dei gratia

(1) Vid. S. Aug. L. de Correpf., et Grat. n. 2. et S. Prosper. Lib. c. Collat. n. 10. 11. et 12.
(2) Vid. S. Th. Lib. III. c. Gentes c. 160. et Lect. III. in cap. XII. ad Hebrae.
(3) Vid. S. Bernard. L. de Grat. et lib. arb.
(4) Vid. S. Aug. Epist. CCXVII. al. CVII. ad Vitalem n. 5.
(5) Vid. S. Aug. de Correp. et Gtat. n. 32.
(6) Psal. CXLV. 8.
(7) Psal. CXLIV. 20.
(8) I. Cor. XV. 57.
(9) Philip. I. 6.
(10) Vid. Sapien. VIII. 21., et I. Cor. II. 12.
(11) Concil. Arausic. II. Can. XXII.

gratia cogitanda est, ut ab initio bonae mutationis suae usque in finem consumationis, qui gloriatur in Domino glorietur (1); Ipse enim cooperando perficit, quod operando incipit; quoniam ut velimus operatur sine nobis incipiens; cum autem ea voluntate, quam in nobis operatus est, volumus, et sic volumus ut faciamus, nobis volentibus cooperatur perficiens (2).

§. CXXXVII.

Hinc est quod Ecclesia Deum orat et pro Paganis, ut eos liberet ab Idolorum cultura; et pro Judaeis, ut auferat velamen a cordibus eorum, et pro haereticis, ac schismaticis, ut eos eruat ab erroribus. Qua in re errant prorsus nuperi, quos jam saepe innuimus, interpretes asserentes, quod preces, quibus a Deo postulatur tolli ab aliqua gente schisma, vel haeresim, vel idololatriam, nihil aliud impetrant, cum exaudiuntur, praeterquam ut tollantur externi obices, quibus aut Evangelica praedicatio, aut pax Ecclesiae retardatur; quod quid aliud est, quam Dei gratiam ad credendum in mera remotione obicum constituere; quasi Fides ipsa non sit, sicut eam dicit esse Apostolus (3) a Deo Patre, non secus ac pax, et caritas; ac docere quod Ecclesia, quae omnino orat

(1) Vid. S. Aug. Lib. II. c. duas Epist. Pelag. n. 23.
(2) Vid. S. Aug. Lib. de Grat., et Lib. arbit. n. 33., et Lib. I. Op. imp. c. 95.
(3) Ephes. VI. 23.

orat, ut Evangelio consentiant, et recte credant, ac redeant ad unitatem, ignoraverit usque adhuc et nunc etiam ignoret, quid a Deo petat, vel petere debeat. Orat praeterea Deum pro cathecumenis, ut eis Deus adaperiat aures praecordiorum ipsorum, augeatque in eis fidem et intellectum: orat pro peccatoribus, ut eos ad veram poenitentiam perducat; orat pro fidelibus, et justis, ut det eis fidei, spei, caritatis augumentum; ut faciat eos id amare, quod praecepit, et desiderare, quod promittit; ut quibus supplicandi praestat affectum, tribuat, ea quae ipsi sunt placita postulare; ut det eis perseverantem in sua voluntate famulatum, et praestet ut nullis ab ipso tentationibus separentur. In quibus omnibus, caeterisque, quae a Deo postulantur, quid aliud petitur, quam ut det Deus quod jubet, adjuvando scilicet, cui jubet (1)? Ipsa porro oratio clarissima est Gratiae testificatio (2): non enim haec poscerentur, nisi dona Dei esse, et a Deo dari crederentur (3); legem quippe credendi statuit lex supplicandi (4).

§. CXXXVIII.

Per legem igitur fidei (qua scilicet quisque cognoscit, si quid boni habet, Dei gratia se habere; et ut perficiatur in dilectione justitiae non se aliun-

(1) Vid. S. August. Lib. II. de Pecc. mer. n. 5.
(2) Vid Epist. quinque Episcopor. Africae ad Innoc. I. inter Augustinian. CLXXVII. al. XCV. n. 4.
(3) Vid. S. Aug. Lib. de Don. Persev. n. 64.
(4) Caelest. I. in Epist. ad Episc. Galliar. c. XI.

aliunde consecuturum) exclusa est gloriatio hominis de superbia veniens; dum quando videtur sibi juste vivere, gloriatur, quasi ipse sibi auctor justitiae suae (1): aut si aliquid tribuit adjutorio gratiae Dei, putat ipsam gratiam redditam praecedenti merito suae voluntatis, quasi scilicet ex se ipso habuerit vel fidem, vel saltem primum sanctae credulitatis affectum, cupiditatem boni, desiderium salutis, suisque viribus sitiverit fontem vitae, petierit, quaesiverit, pulsaverit, elegerit Dei mandata, oblatamque gratiae medicinam propria virtute admiserit; quae omnia sensisse Julianum, et Semipelagianos compertum est (2). Prorsus exclusa est inanis ista, et superba, et injusta, et Deo ingrata gloriatio. *Quis enim te discernit? Quid autem habes, quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis* (3)? *Aut quis prior dedit Deo, ut retribuetur illi* (4)? *Quoniam pax, et caritas cum fide a Deo Patre* (5), *qui etiam operatur in nobis et velle, et perficere pro bona voluntate* (6), *a quo*

(1) Vid. S. Aug. L. de Spirit. et lit. n. 17. exponen. verba Apost. Rom. III. 27.

(2) Vid. S. Aug. c. duas Epist. Pelag. L. II. n. 18. et seq.. L. IV. n. 30., L. IV. c. Julian. n. 41. et Ep. Prosp. inter Augustin. CCXXV. n. 3. 4. 5. et Ep. Hilar. inter Augustin. CCXXVI. n. 2. 4.

(3) I. Cor. IV. 7.

(4) Rom. XI. 35.

(5) Ephes. VI. 33.

(6) Philipp. II. 13.

descendit omne donum perfectum (1); *et ex ipso, et per ipsum, et in ipso sunt omnia* (2). *In nullo itaque gloriandum, quando nostrum nihil est* (3); *sed qui gloriatur, in Domino glorietur* (4).

§. CXXXIX.

Neque vero ita omnia bona nostra ab initio fidei, et bonae voluntatis usque ad finis consumationem, dona Dei sunt; quasi quidam sint, qui ea habeant ex Deo, quidam vero eadem aut omnia, aut aliqua saltem habeant a semetipsis, ut censuit Cassianus (5); vel quasi ad hoc tantummodo valeat adjutorium gratiae, ut quod per liberum facere jubemur arbitrium, facilius possimus implere per gratiam, ut asseruit Pelagius (6): volens utique credi, adimpletionem boni operis, etsi minus facile, tamen fieri posse sine gratia (7): quod ad observantiam legis naturalis, quantum satis est ad consecutionem naturalis beatitudinis, valere docuit nuperus nostrae communionis Theologus, asserens, Religionem revelatam quoad revelationem, et gratiam utilem esse ad naturalis Re-

(1) Jacob. I. 17.
(2) Rom. XI. 35.
(3) S. Cyprian. L. III. ad Quirinum c. 4.
(4) I. Cor. I. 31., et II. Cor. X. 17.
(5) Collat. XIII. c. 11. Vid. S. Prosp. Lib. cont. Collator. n. 13.
(6) In Epist. ad Demetriad. cap. 25., et Lib. I. de lib. arb.
(7) Vid. S.Aug. Lib. de Grat. Christ. n.28. 29.30.

Religionis finem obtinendum (1). Quisquis ita sentit, ipsam etiam Dominicam orationem, qua poscimus, ne inferamur in tentationem, impiis disputationibus molitur eripere Ecclesiae Christi, quemadmodum Innocentio Papae I. exposuerunt Pelagianam haeresim damnantes Patres Concilii Carthaginensis (2), et Concilii Milevitani (3), caeterasque etiam orationes, et gratiarum actiones quas universa frequentat Ecclesia, perfunctorias, et irrisorias esse putet, necesse est. Quod enim homo sibi praestare posset volendo, non posceretur orando (4); stultum quippe est orando petere, quod in potestate habeas, ut facias (5); et illusoria est gratiarum actio, si ob hoc gratiae Deo aguntur, quod non donavit ipse, nec fecit, vel nec donasse, nec fecisse putatur (6).

§. CXL.

Convincitur etiam quisquis haec sentit manifestis repugnare scripturarum oraculis. Nam de fide in Christum non solum dicitur quod omnis, qui audivit a Patre, et didicit venit ad Christum (7): sed ne putaretur quemquam venire posse ad Christum per naturae vigorem, praemittitur

 ne-

(1) Vid. sup. §. XLVII.
(2) Epist. inter August. CLXXV. al. XC. n. 4.
(3) Epist. inter August. CLXXVI. al. XCI. n. 2.
(4) Vid. S. August. Epist. CCXVIII. al. CCVIII. ad Palatinum n. 3., et de Don. Persev. n. 93.
(5) Vid. S. August. L. de Nat. et Grat. n. 20.
(6) Vid. S. Aug. L. de Praedestin. SS. n. 39.
(7) Joan. VI. 45.

neminem posse venire ad Christum, nisi eum traxerit Pater (1). De poenitentia pariter non solum legimus, datam eam esse a Deo gentibus ad vitam (2); sed etiam a Deo esse sperandam iis, quibus nondum data fuerit (3); unde cum Petrus ter Dominum negasset, non tamen post primam, et secundam negationem flevit; flevit autem post tertiam, quia tunc solum respexit eum Dominus, non quidem corporalibus oculis ipsum visibiliter admonendo (tunc enim intus erat Jesus, cum a Sacerdotum principibus audiretur; Petrus vero foris, et deorsum in atrio cum servis ad ignem): sed interiore gratia eum respexit, et usque ad exteriores lacrymas movit, et produxit affectum (4) Et Sapiens deprecatus est a Domino continentiam, non ut facilius per ejus donum illam consequeretur: sed *quoniam sciebat*, sicut expresse testatus est, quia *aliter non posset esse continens, nisi Deus det* (5). Nec solum scriptum est, *misisse Deum spiritum filii sui in corda nostra clamantem, Abba, Pater* (6), sed scriptum est pariter, quod *quid oremus sicut oportet nescimus*, *sed Spiritus adjuvat infirmitatem nostram*, *et interpellat pro no-*

---

(1) Ibid. vers. 44.
(2) Act. XI. 18.
(3) II. Tim. II. 25.
(4) Vid. S. Ambros. L. X. n. 89. ad Lucae XXII. 61. et S. August. Lib. de Grat. Christi n. 49. et Lib. IV. Op. Imp. c. 126.
(5) Sapien. VIII. 21.
(6) Galat. IV. 6.

nobis (1) ; hoc est facit nos interpellare : scriptum est itidem, *quod nemo potest dicere Dominum Jesum, nisi in Spiritu Sancto* (2). Rursus non solum scriptum est (3), *a Domino dirigi gressus hominis*; sed confitetur Jeremias (4), *se scire*, *quia non est hominis via ejus ; nec viri ut ambulet, et dirigat gressus suos*. Et non solum scriptum est, *Deum esse*, *qui operatur in nobis velle*, *et perficere pro bona voluntate* (5) verum etiam quod *non sumus sufficientes cogitare aliquid ex nobis quasi ex nobis*, *sed sufficientia nostra ex Deo est* (6): quibus certe testimoniis id agere volebat Apostolus, ut nemo inflaretur adversus alterum, cum nihil boni habeat homo, quod non acceperit a Deo (7) ; ac proinde nonnisi in Domino gloriari possit, quicumque recte gloriatur (8). Denique in Evangelio omne effugium humanae superbiae interclusit Dominus, pronuncians. Sine me nihil potestis facere (9) ; ubi non ait, Parum potestis facere ; sed, nihil (10) : nec ait, Perficere, quasi

per

(1) Rom. VIII. 26.
(2) I. Cor. XII. 3.
(3) Psal. XXXVI. 23.
(4) Jerem. X. 23.
(5) Philip. II. 13.
(6) II. Cor. III. 5.
(7) I Cor. IV. 7.
(8) Ibid. I. 31. et II. Cor. X. 17.
(9) Joan. XV. 5.
(10) Vid. S. August. L. II. c. duas Epist. Pelag. n. 18.

per se possit homo bonum inchoare: sed, Facere inquit; ubi est et initium operis, et prosecutio, et complementum (1): neque addidit, Nisi difficilius; sed absolute nos sine eo nihil facere posse asseruit (2): neque exclusit, velle, aut cupere bonum; quia utrumque opus est voluntatis; neque tandem non inclusit ipsam fidem, quia dixit, Facere, nec addidit, Credere; quasi vero non ipsa fides appellata fuerit ab eodem Domino (3) opus Dei; ut proinde non aliter distinguatur fides ab operibus, quam quomodo in duobus regnis Hebraeorum distinguitur Judas ab Israel cum et ipse Judas sit Israel, vel in quantum ipsa prima datur, ex qua impetrantur caetera, quae proprie opera nuncupantur, in quibus juste vivitur (4), unde et de eadem fide dixerat (5). *Nemo potest venire ad me, nisi fuerit ei datum a Patre meo.*

§. CXLI.

Errant itaque, qui gratiam Dei per Jesum Christum in sola peccatorum remissione versari existimant, ut non adjuvet etiam ad vitanda peccata, et desideria vincenda carnalia. Fuit iste Pelagii, et Pelagianorum error damnabilis (6), qui etiam

(1) Vid. S. Aug. ibid.
(2) Vid. S. Aug. ibid. et Trident. Sess. VI. can. 2.
(3) Joan. VI. 29.
(4) Vid. August. Lib. de Praedest. SS. n. 12.
(5) Joan. VI 66.
(6) Vid. S. August. Lib. de Gest. Pelag. n. 56. Lib.

etiam hanc solam gratiam remissionis peccatorum dicebant non secundum merita nostra dari (1), postquam scilicet in Diospolitana Synodo Pelagius anathematizasset inter caetera capitula Coelestii sibi objecta, etiam decimum tertium, quo asserebatur, Poenitentibus veniam non dari secundum gratiam, et misericordiam Dei, sed secundum merita, et laborem eorum, qui per poenitentiam digni fuerint misericordia (2) Non ad hoc solum mala nostra supernus medicus sanat, ut illa jam non sint, sed etiam ut de caetero recte ambulare possimus, quod quidem etiam sani nisi illo adjuvante poterimus (3): unde et de Ecclesia, quam sanctificat Christus, mundans eam lavacro aquae in verbo vitae (4), scriptum est in Cantico Canticorum (5). *Quae est ista, quae ascendit dealbata super fratruelem suum*; vel ut legit Vulgata nostra, deliciis affluens innixa super dilectum suum; ut scilicet intelligatur, quod jam dealbata per remissionem peccatorum, bene utique ambulat, sed si super eum, a quo dealbata est, perseveranter in-

Lib. de Grat. Christi n. 2. et 42., L. VI. c. Julian. c. 72., Lib. de Grat. et lib. arbit. n. 26., et Lib. II. Op. imp. c. 227.

(1) Vid. S. August. Lib. de Grat. et Lib. arbitr. n. 15.
(2) Vid. S. August. Lib. de Gest. Pelag. n. 42. 43.
(3) Vid S. Aug. L. de Nat. et Grat. n. 29.
(4) Ephes. V. 25.
(5) Cantic. VIII. 5.

incumbat (1). Utroque igitur modo adjuvat gratia, et dimittendo quae male fecimus, et opitulando ut declinemus a malis, ac bona faciamus (2): unde et in oratione Dominica, quae utique filiorum est, idest justificatorum, oramus, non solum ut dimittantur nobis debita nostra, propter remissionem scilicet quotidianorum accipiendam; sed etiam ne inferamur in tentationem, et liberemur a malo; et Apostolus (3) orabat ad Deum pro fidelibus, et justis, ut nihil mali facerent, et facerent quod est bonum (4).

§. CXLII.

Hic porro error, quo asserebant Pelagiani Gratiam Dei per Jesum Christum ad hoc valere dumtaxat, ut praeterita nobis remittantur peccata, non etiam ut adjuvemur ad eadem cavenda, faciendamque justitiam, ex eo potissimum profluxit, quod putarent, nos ita nasci, ut naturam habeamus non vitiatam, et infirmam, sed sanam, atque in genere suo perfectam, qualis fuit in Adam, antequam caderet (5); non solum quia negabant originale peccatum, sed quia censebant naturam non potuisse per peccatum in deterius mutari (6), li-

(1) Vid. S. Aug. L. de Grat. et lib. arbit. n. 13.
(2) Vid. S. Aug. L. II. Op. imp. c. 227.
(3) II. Cor. XIII. 7.
(4) Vid. S. Aug Op. imp. Lib. I. cap. 105. Lib. II. cap. 165. Lib. VI. cap. 15.
(5) Vide S. Aug. L. de Nat. et Grat. n. 21.
(6) Vid. verba Pelagii apud S. Aug. cit. loc. et verba Julian. Pelagian. apud S. Aug. Lib. I. Op. imp. cap. 96.

liberum autem arbitrium ita sanum nunc esse, et integrum existimarent, quale conditum fuit in primo homine (1); et ita paribus momentis potestatem voluntatis aequa lance perpenderent, ut quantum ad peccandum, tantum etiam ad non peccandum valere definirent (2); quod sane si est, nullus locus adjutorio gratiae reservatur, sine qua nos dicimus, ad non peccandum nihil voluntatis arbitrium valere; ut verbis utamur magni Augustini (3). Hinc est quod Pelagius licet ipsam possibilitatem naturae, et liberi arbitrii, quam a Conditore accepimus, quam solam dicebat gratiam, sine qua nihil possumus, multiplici auxilio adjuvari confiteretur: ipsum tamen auxilium ad hoc tantum valere voluit, ut sciremus quid agere debeamus; nec unquam recessit a commendatione legis, atque doctrinae, etiam cum interiores illustrationes admisit, quibus Deus cordis nostri oculos aperit, et nobis, ne praesentibus occupemur, futura demonstrat, et diaboli pandit insidias, et multiformi, atque ineffabili dono gratiae coelestis illuminat (4); haec enim omnia ad legem, et doctrinam pertinent; sicut etiam exempla Christi, in

(1) Vid. verba Julian. apud S. Aug. Lib. II. Op. imp. cap. 20.

(2) Vid. apud S. Aug. verba Pelagii Lib. de Grat. Christi n. 19. et Juliani Lib. I. Op. imp. c. 78., et Lib. III. cap. 110., Vid. et S. Aug. Epist. CLXXXVI. al. CVI. ad Paulin. n. 34., et Lib. III. Op. imp. c. 117.

(3) Cit. n. 34. Epist. ad Paulinum.

(4) Vid. S. Aug. Lib. de Grat. Christi n. 8.

in quibus novi foederis gratiam ab ea distinctam, quae temporibus propheticis fuerat, constituebat (1). Et quamvis etiam aliquando dixerit, Deum operari in nobis velle quod bonum est, velle quod sanctum est; non tamen propterea voluntatem; et actionem divinitus consensit adjuvari. Nam non aliter Deum asseruit operari in nobis velle quod bonum est, quam nos terrenis cupiditatibus deditos futurae gloriae magnitudine, et praemiorum pollicitatione succedendo, et revelatione sapientiae in desiderium Dei stupentem suscitando voluntatem, suadendo denique omne quod bonum est; quae quidem auxilia ad legem pertinent, et doctrinam (2); et nonnisi moraliter agunt in voluntatem; adjutorium autem bene agendi adjunctum naturae atque doctrinae per subministrationem virtutis, numquam admisit (3). Quin et haec ipsa adjutoria legis scriptae, doctrinae, et exemplorum Christi, atque internarum illustrationum nonnisi ad facilius admittebat (4), unde et alios ex sola natura juxte vixisse asserebat (5); et uberiora haec adjutoria in notitia legis, ac doctrinae, exemplorumque Christi, praecedentibus meritis naturalibus docebat rependi (6). Hinc etiam est quod Coelestius in decimo Capitulo asserebat, non esse li-

(1) Vid. ibid. n. 45.
(2) Vid. S. Aug. L. de Grat. Christi n. 11.
(3) Vid. S. Aug. ibid n. 3., 36., 37. 38., 44.
(4) Vide S. Aug. ibid. n. 44.
(5) Vid. S. Aug. Lib. de Pecc. origin. n. 30.
(6) Vid. S. Aug. Lib. de Grat. Christi n. 34.

liberum arbitrium, si indigeat adjutorio Dei, quoniam in propria voluntate habet unusquisque aut facere aliquid aut non facere (1); propter illud scilicet aequilibrium, quod in voluntate admittebat, et ad essentiam libertatis pertinere arbitrabatur: et Julianus Pelagium Magistrum suum imitatus, qui praeter exhortationes, revelationes, doctrinas; hoc est praeter gratias moraliter tantum excitantes voluntatem, et ab ejus arbitrio pendulas, nullum aliud adjutorium agnovit, et ipse adesse confessus est adjutoria gratiae Dei, quae in parte virtutis nunquam destituant voluntatem, ejus tamen indolis, ut praebeant libero arbitrio adjumenta, quamdiu eis voluerit inniti (2).

§. CXLIII.

Quid ab hisce Pelagianis dogmatibus discrepet illorum Theologorum opinio qui docent, hominem per Adae peccatum gratuitis quidem donis fuisse spoliatum, in facultatibus autem naturalibus nullam diminutionem accepisse: tam integrum esse in nobis liberum arbitrium, quam fuerat in primis parentibus, si removeas supernaturalia dona: peccatum primi parentis solum in gratuitis nobis nocuisse, et ob id naturalia bona in nobis post peccatum integra permansisse; totam naturae depravationem inductam per peccatum fuisse solum amissionem donorum supernaturalium; non aliter differre hominem in statu naturae lapsae ab homi-

ne

(1) Vid. S. Aug. de Gestis Pelag. n. 42.
(2) Vid. S. Aug. Lib. III. Op. imp. c. 114.

ne in statu naturae purae, nisi ut homo spoliatus ab homine nudo; qui cohaerenter ad haec principia docent, gratiae adjutorium non movere voluntatem, nisi moraliter, eam alliciendo revelatione sapientiae, pollicitatione praemiorum, comminatione poenarum: et expectare, non facere voluntatis consensum: auxilia hujusmodi Deum omnibus et semper suppeditare, quae si deessent, imputari ad culpam non posset, quod contra legem committitur; quia non maneret aequilibrium voluntatis; quid haec inquam, et similia ab illis discrepent, nostrum non est definire; sed potius judicium Ecclesiae expectare; neminem interim damnantes: sed solum quid in iis opinionibus periculi plenum nobis videatur, innuentes.

§. CXLIV.

Nos vero cum sacrosanctis Synodis Arausicana II. (1), et Tridentina (2) agnoscentes, liberum hominis arbitrium minime quidem extinctum esse; viribus tamen attenuatum, et inclinatum, totamque (3) humanam in deterius per Adae peccatum mutatam esse naturam; dum et corpus quod corrumpitur aggravat animam (4), et caro concupiscit adversus spiritum, et spiritus adversus car-

nem,

(1) Can. XXV.
(2) Sess. VI., in Decreto de Justificat. cap. 1.
(3) Vid. S. Aug. Lib. de Nat. et Grat. n. 22., et Op. imp. Lib. I. c. 96., et Lib. VI. c. 27. et 29., et Arausic. II. Can. I.
(4) Sapient. IX, 15.

nem, ut non quaecumque volumus faciamus (1), et infirmitate sic deficimus, ut etiam quando velle adjacet, perficere autem bonum non inveniamus (2), et ex ignorantia sit, ut homo etiam baptizatus non solum non percipiat, quae sunt spiritus Dei, sed et haec eadem sint illi stultitia, ut non possit ea intelligere (3); confitemur cum memoratis Conciliis Arausicano, et Tridentino, haeretico falli spiritu sive qui dixerit ad hoc solum divinam gratiam per Jesum Christum dari, ut facilius homo juste vivere, ac vitam aeternam promereri possit; quasi per liberum arbitrium sine gratia utrumque, sed aegre tamen, et difficulter possit (4); sive qui per naturae vigorem bonum aliquod, quod ad salutem pertinet vitae aeternae, cogitare ut expedit, aut eligere, sive salutari, idest Evangelicae praedicationi consentire posse confirmat, absque illuminatione, et inspiratione Spiritus Sancti, qui dat omnibus suavitatem in consentiendo, et credendo veritati (5); atque ideo dixerit, sine praeveniente Spiritus Sancti inspiratione, atque adjutorio hominem credere, sperare, diligere, aut poenitere posse sicut oportet, ut ei

ju-

(1) Galat. V. 17.
(2) Rom. VII. 18.
(3) I. Cor. II. 14.
(4) Trid. Sess. VI. can. 2., et Arausic. II. can. 8., Vid. et Conc. plenar. Africae anni CCCCXVIII. can. 6.
(5) Arausican. II. c. 7.

justificationis gratia conferatur (1); sive qui sicut augmentum, ita etiam initium fidei, ipsumque credulitatis affectum non per gratiae donum, idest per inspirationem Spiritus Sancti corrigentem voluntatem nostram ab infidelitate ad fidem, ab impietate ad pietatem nos habere, sed naturaliter nobis inesse, vel inesse posse dixerit (2); aut ut a peccato purgemur, voluntatem nostram Deum expectare contenderit, non autem ut eam purgare velimus per Sancti Spiritus operationem in nobis fieri confiteatur (3); ut ipsius justificationis exordium in adultis a Dei per Christum Jesum praeveniente gratia sumendum sit, hoc est ab ejus vocatione, qua, nullis eorum existentibus meritis, vocantur; ut qui per peccata a Deo aversi erant per ejus excitantem, atque adjuvantem gratiam ad justificationem disponantur, ita ut sine gratia Dei movere se ad justitiam coram illo libera sua voluntate non possint (4): sive qui invocatione humana gratiam Dei dixerit posse conferri, non autem ipsam gratiam facere, ut invocetur a nobis (5); et proinde sine gratia Dei credentibus, volentibus, desiderantibus, conantibus, laborantibus, vigilantibus, studentibus, petentibus, quaerentibus, pulsantibus nobis misericordiam conferri divinitus; non autem ut credamus, velimus; vel haec

(1) Trident. Sess. VI. can. 3.
(2) Vid. Arausic. II. can. 5.
(3) Arausic. II. c. 4.
(4) Trid. Sess. VI. cap. 5.
(5) Arausic. II. c. 3.

haec omnia sicut oportet agere valeamus, per inspirationem Sancti Spiritus in nobis fieri : et aut humilitati, aut obedientiae humanae subjunxerit gratiae adjutorium, nec ut obedientes, et humiles simus ipsius gratiae donum esse consenserit (1).

§. CXLV.

Haec itaque gratia non est natura, sed qua subvenitur fragili vitiataeque naturae; non est legis scientia, sed ea est, de qua dicit Apostolus (2). *Non irritam faciam gratiam Dei, nam si per legem justitia, ergo Christus gratis mortuus est* (3). Multo minus est mera exteriorum obicum remotio, ut lex et doctrina promulgetur. Neque est solum interior mentis illustratio, quae ad legem quoque pertinet, atque doctrinam (4); sed est proprie inspiratio sanctae dilectionis, ut cognita sancto amore faciamus (5). Haec gratia si doctrina dicenda est, quomodo etiam dicitur aliquando in Evangelio (6), certe sic dicatur, ut altius, et interius eam Deus cum ineffabili suavitate credatur infundere, non solum per eos, qui plantant, et rigant extrinsecus, sed etiam per se ipsum, qui incrementum suum ministrat occultus, ita

(1) Arausic. II. c. 6.
(2) Galat. II. 21.
(3) Vid. S. Aug. L. de Gest. Pelag. n. 20.
(4) Vid. S. Aug. L. de Grat. Christi n. 8.
(5) S. Aug. L. IV. c. duas epist. Pelag. n. 11.
(6) Joan. VI. 45., Vid. S. Aug. L. de Grat. Christi n. 15.

ita ut non ostendat tantummodo veritatem, verum etiam impertiat caritatem , simul donans et quid agamus scire, et quod scimus agere (1) ; atque ita per eam non solum possibilitatem naturalem voluntatis, et actionis, sed ipsam etiam voluntatem, et actionem adjuvans subministratione virtutis (2) . Sunt enim omni animae propter Adae peccatum duo ista poenalia , ignorantia , et difficultas (3) ; ex ignorantia dehonestat error; ex difficultate cruciatus affligit : ignorando , non habet arbitrium liberum voluntatis ad eligendum quid recte faciat ; resistente autem , atque torquente carnali consuetudine, quae violentia mortalis successionis quodammodo naturaliter inolevit, videt, quid recte faciendum sit, et non potest implere (4). Per gratiam itaque Salvatoris : quae idcirco medicinalis dicta est, quia sanat (5), utrique morbo erat subveniendum; et sic humana voluntas divinitus adjuvanda ad faciendam justitiam , ut praeter doctrinam, qua ei praecipitur , quomodo vivere debeat, quae adjutorium est possibilitatis potius, quam voluntatis , et actionis , et valet ad dispellendam ignorantiam, non ad superandam concupiscentiam , vincendamque difficultatem, accipiat etiam

(1) Vid. S. Aug. ibidem n. 14.
(2) Vid. ibid. n. 37.
(3) Vid. sup. §§. LXIX., LXX., LXXX., LXXXI, LXXXVIII.
(4) Vid. S. Aug. L. III. de lib. arbit. n. 52.
(5) Vid. S. Aug. L. III. Op. imp. c. 149.

etiam illud Spiritus Sancti donum ; quo fiat in animo ejus delectatio , et dilectio boni (1).

§. CXLVI.

Neque vero , quia Gratiam dicimus inspirationem sanctae dilectionis , non agnoscimus inter dona Dei fidem , timorem , caeterasque virtutes . Prorsus quaelibet verae virtutes sunt dona Dei . Sed non absurde , cum generaliter definitur Gratiae adjutorium , appellatur inspiratio dilectionis . Etenim virtus fidei attenditur praecipue , prout a voluntate imperatur consensus articulis ad credendum propositis , tamquam revelatis a Deo , et captivatur intellectus in obsequium fidei , quod utique est voluntatis , et ideo credenti in eum , qui justificat impium fides deputatur ad justitiam , ipsaque fides inchoat meritum , quod utique sine voluntate nullum esse potest ; voluntatis porro est appetere , vel refugere : nec amplectitur aliquid nisi sub ratione boni ; et ideo de fide quoque verum est , quod nisi ametur non suscipitur . Unde fides , quae est donum gratiae ; quantumvis sit informis , inclinat hominem ad credendum secundum aliquem affectum boni : atque hinc dignoscitur , cur fides , quae est in daemonibus , non sit donum gratiae , sed ex perspicacitate naturalis intellectus (2) . Spes autem nonnisi bonarum re-

M rum

(1) Vid. S. Aug. L. de Spir. et Litt. n. 5.
(2) Vid. S. Thom. 2. 2. q. 5. a. 2. ad 3.

rum est, et quae diliguntur: quis namque speret, et non potius horreat, ac timeat poenas impiorum, quas tamen credit? Unde et Grammatici ad ostendendam dictionem impropriam solent in exemplum afferre illud Poetae (1), *Hunc ego si potui tantum sperare dolorem*. Non igitur esset spes, nisi ea diligerentur bona, quae sperantur. Sed nec ulli dubium esse potest, non aliam esse metuendi caussam, nisi ne id, quod amamus, aut adeptum amittamus: aut non adipiscamur speratum (2). Virtus vero, quae ad vitam recte agendam pertinet, non est nisi caritas, qua id, quod diligendum est, diligitur. Nam amor ea, quibus adjuvatur ad consecutionem ejus quod diligendum est, ab eis, quibus impeditur, sagaciter seligens, Prudentia est; amor soli amato serviens, et ob hoc recte imperans caeteris, Justitia est; amor facile tolerans omnia propter id, quod amatur, Fortitudo est; amor integrum se incorruptumque praebens ei, quod amatur, Temperantia est (3). Pariter amore petitur, amore quaeritur, amore pulsatur

(1) Virg. AEneid. L. IV.

(2) Vid. S. Augustin. Q. XXXIII. inter LXXXIII., et S. Thom. 1. 2. q. 43. a. 1. in c.

(3) Vid. S. Aug. Lib. de Morib. Eccles. n. 25., et Epist. CLV. al. LII. ad Macedonium n. 13., et 16. et in Lib. de Sentent. Jacobi ad Hieronym., sive Epist. CLXVII. al. XXIX. n. 11., et 15. Vid. et S. Thom. 1. 2. q. 47. a. 1. ad 1., q. 58. a. 1. ad 5., q. 123. a. 7. in c., q. 124. a. 2. ad 2., et q. 141. a. 2. ad 1.

satur (1); nam et fides est, quae orat: fidei autem opus est dilectio (2): et non petitur, non quaeritur, quod non appetitur, et amatur. Amore etiam in eo quod revelatum fuerit, et in quod pervenimus, permanetur (3). Denique lex non impletur per legem, sed plenitudo legis est dilectio (4): unde et in duplici mandato dilectionis Dei, et proximi totam legem Christus Dominus dixit contineri (5); et caritatem necessariam testatur Apostolus, ne inflet scientia (6), quae caeteroquin et ipsa Dei donum est (7), sed quod sine caritate ad justitiam, atque ad beatam vitam non prodest, imo etiam ex vitio habentis ei obest (8).

§. CXLVII.

Propterea gratia appellatur in scripturis Testamentum novum, sicut lex appellatur Testamentum vetus: licet consuetudo loquendi jam obtineat, ut nomine veteris Testamenti nuncupentur scripturae omnes Legis et Prophetarum, quae usque ad Joannem ministratae auctoritate canonica con-

(1) Vid. S. Aug. L. de Morib. Eccles. n. 31.
(2) Vid. Galat. V. 6.
(3) Vid. S. Aug. cit. loc.
(4) Rom. XIII. 10.
(5) Matth. XXII. 40. Vid. S. Aug. cit. Epist. CLV. n. 15. et CLXVII. n. 16., et Enarrat. II. in Psalm. XXXI. n. 5.
(6) I. Cor. VIII. 1.
(7) Proverb. II. sec. LXX.
(8) Vid. S. Aug. ad inquisitiones Januarii L. II. sive Epist. LV. al. CXIV. n. 39.

tinentur ; nomine autem Testamenti novi designentur scripturae Apostolorum, et Evangelistarum. Sed nos hoc loco testamenta sumimus eo sensu, quo Apostolus Paulus, qui duo testamenta in ancilla, et libera allegorica significatione distincta esse dicebat (1), veteri filios carnis, novo filios promissionis, qui in semen Abrahae, quod Christus est, per ipsius Christi gratiam deputantur, attribuens (2). Porro novum Testamentum promittens Dominus per Ezechielem, in quo illud situm foret expressit inquiens : *Dabo eis cor novum, et spiritum novum tribuam in visceribus eorum, et auferam cor lapideum de carne eorum, et dabo eis cor carneum, ut in praeceptis meis ambulent, et judicia mea custodiant, faciantque ea, et sint mihi in populum, et ego sim eis in Deum* (3): et adhuc expressius per Jeremiam, cujus testimonio utitur Apostolus Paulus scribens ad Haebreos (4) : *Ecce dies veniunt, et consumabo super Domum Israel, et super domum Juda testamentum novum, non secundum testamentum, quod feci patribus eorum in die qua apprehendi manum eorum, ut educerem eos de terra AEgypti : quoniam ipsi non permanserunt in testamento meo, et ego neglexi eos dicit Dominus. Quoniam hoc est testamentum*

(1) Galat. IV. 24.
(2) Vid. S. Aug. Lib. de Gest. Pelag. n. 14., et Lib. III. c. duas Epist. Pelag. n. 12.
(3) Vid. Ezech. XI. 19. et 20., et XXXVI. 26., et seq.
(4) Hebrae. VIII. 8. et seq.

tum, quod disposui domui Israel. Dabo leges meas in mentem eorum, et in corde eorum scribam eas, et ero eis in Deum, et ipsi erunt mihi in populum (1). Nempe cor lapideum habet, idest cor durum, qui servit in vetustate litterae, nec nisi verberibus emendatur. Hujusmodi cor frangi potest terrore supplicii, ne praecepto legis resistat: sed flecti, ut illud diligat; non potest. Qui vero pertinent ad gratiam, non accipiunt (2) spiritum servitutis iterum in timore, sed spiritum adoptionis filiorum. Gratiam ergo promittens Dominus, quae facit filios novi testamenti, et iis ablaturum se dicens cor lapideum, et daturum cor carneum, atque in eo scripturum se legem suam, ut sit ipse eis in Deum, quid aliud promittebat, quam spiritum caritatis, quo diligerent, et diligendo implerent justitiam legis, quae sine gratia faciebat praevaricatores vel usque ad effectum mali operis, si etiam repagula timoris concupiscentiae flamma transcenderet, vel certe in sola voluntate, si timor poenae illecebras libidinis vinceret (3)? Et ideo sicut servientibus sub priori testamento promissa erat merces in temporalibus bonis; sic testamentum novum promissam habet hereditatem, quae est propria filiorum, quibus reservatur in aeterna vita; ipsius scilicet Dei beatissimam con-

 tem-

(1) Jerem. XXXI. 31. et seq.
(2) Rom. VIII. 15.
(3) Vid. S. Aug. Lib. de Spirit. et Litt. n. 33. et seq., et S.Thom. 1. 2. q. 106. a. 1. in c., et a.2. ad 3.

templationem: unde per Jeremiam subjunxit Dominus: *Non docebit ultra vir proximum suum, et vir fratrem suum dicens, cognosce Dominum; omnes enim cognoscent me a minimo eorum, usque ad maximum* (1): quod quidem non est in hoc saeculo, ubi Dei praedicatio usquequaque crebrescit, ut cognoscatur; sed erit cum apparuerit ille et similes ei erimus; quae similitudo quoniam hic incipit reformari per gratiam, quamdiu homo interius renovatur de die in diem secundum imaginem ejus, qui creavit eum; ideo convenientissime debuit promissioni novi testamenti conjungi (2).

§. CXLVIII.

Nec moveat quod Apostolus (3) de gentibus legem non habentibus dicat, eos naturaliter quae legis sunt facere, et ostendere opus legis scriptum in cordibus suis; quasi haec non sit certa distantia novi testamenti a veteri, quod leges suas Dominus in cordibus populi sui se scripturum esse promisit. Gentes quippe commemorans scriptum habentes opus legis in cordibus, illos intelligi voluit, qui, non sicut Judaei praemissa sibi lege, sed ex Gentibus, quibus non est lex data per Moysem, venerunt ad fidem Christi. Ad hoc enim inde venit, cum prius (4) Evangelium commemorans dixisset. *Virtus enim Dei est in salutem omni*

(1) Jerem. XXXI. 34.
(2) Vid. S. August. Lib. de Spir. et Litt. n.37., et 39.
(3) Rom. II. 14.
(4) Rom. I. 16. et seq.

ni credenti, Judaeo primum, et Graeco; justitia enim Dei revelatur ex fide in fidem, sicut scriptum est: Justus ex fide vivit: deinde addidisset (1) de illis impiis, quibus propter superbiam nec cognitio Dei profuit, dum non sicut Deum glorificaverunt: ac denique (2) transisset ad eos, qui judicant, et agunt talia, qualia condemnant; propter Judaeos scilicet, qui de lege Dei gloriabantur, quamvis adhuc eos nominatim non expresserit; et ideo dixerit: *Ira, et indignatio in omnem animam hominis operantis malum, Judaei primum, et Graeci: gloria autem, et honor, et pax omni operanti bonum, Judaeo primum, et Graeco: non enim est acceptio personarum apud Deum; quicumque enim sine lege peccaverunt, sine lege peribunt, et quicumque in lege peccaverunt, per legem judicabuntur; non enim auditores legis justi sunt apud Deum sed factores legis justificabuntur*; iis verbis hoc, unde nunc agitur, subjunxit: *Cum enim gentes, quae legem non habent* etc. Ex quo apparet non alios hic significasse sub nomine Gentium, quam eos, quos insinuaverat nomine Graeci, cum diceret, *Judaeo primum, et Graeco*. Porro si Evangelium virtus est Dei in salutem omni credenti, Judaeo primum, et Graeco; et ira, et indignatio in omnem animam operantis malum, Judaei primum, et Graeci; et gloria, et honor, et pax omni operanti bonum, Judaeo primum, et Grae-

M 4

(1) Rom. I. 21. et seq.
(2) Rom. II. a vers. 1. ad 13.

Graeco; profecto iste Graecus significatus est nomine Gentium, quae ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis; adeoque ad Evangelium pertinent istae gentes; eis quippe credentibus Evangelium ipsum virtus Dei est in salutem, iisque bene sperantibus gloriam, honorem, pacemque promittit Apostolus, quam utique non promitteret extra Evangelii gratiam constitutis: nec est acceptio personarum apud Deum, apud quem non auditores legis, sed factores justificantur, idest justi habentur, et deputantur; sed sive Judaeus, sive Graecus, hoc est, quilibet ex Gentibus, crediderit, salutem in Evangelio pariter habebit, quod est in salutem omni credenti. Quare tantum abest ut adversetur; quin potius concordat prophetico etiam hoc apostolicum testimonium, ut hoc sit pertinere ad testamentum novum, legem Dei habere non in tabulis, sed in cordibus scriptam; hoc est in intimo affectu justitiam legis amplecti, ubi fides per dilectionem operatur; quia (1) ex fide justificat Gentes Deus: quod (2) scriptura praevidens praenunciavit Abrahae dicens (3). In semine tuo benedicentur omnes Gentes (4). Naturaliter autem eos dixit, quae legis sunt facere, non autem dixit aut spiritu Dei, aut fide, aut gratia; quia hoc agit spiritus gratiae, ut imaginem Dei,

(1) Galat. III. 8.
(2) Ibid.
(3) Gen. XII. 13., XVIII. 18., XXII. 18.
(4) Vid. S. Aug. Lib. de Spir. et Litt. n. 44. et 46., ac L. IV. c. Julian. n. 23., 25.

Dei, in qua naturaliter facti sumus, instauret in nobis. Vitium quippe contra naturam est, quod utique sanat gratia. Proinde naturaliter homines, quae legis sunt faciunt; qui enim hoc non faciunt, vitio suo non faciunt, quo vitio lex Dei est delata de cordibus: ac per hoc, vitio sanato, cum illic scribitur, fiunt quae legis sunt naturaliter, non quod per naturam negata sit gratia, sed potius per gratiam reparata natura (1).

§. CXLIX.

Quamquam etsi hi, qui naturaliter quæ legis sunt faciunt, nondum sint habendi in numero eorum, qui Gratiae Christi participes sunt, etiam sic tamen illa differentia non perturbabitur, qua distat a vetere testamentum novum; quod scilicet per novum scribatur lex Dei in corde fidelium, quae per vetus in tabulis scripta est. Quia enim non usque adhuc in anima humana imago Dei terrenorum affectuum labe detrita est, ut nulla in ea velut lineamenta extrema remanserint; ideo dicuntur etiam in ipsa impietate vitae suae facere aliqua legis, vel sapere, quae quidem secundum justitiae regulam non solum vituperare non possumus; verum etiam merito, recteque laudamus: quamquam si discutiatur quo fine fiant, vix invenientur, quae justitiae debitam laudem, defensionemve mereantur; quae praeterea si aliqua erunt, illius

(1) Vid. S. Aug. cit. Lib. de Spir. et Litt. n. 47., et cit. L. IV. c. Julian. n. 25. . et S. Th. 1. 2. q. 109. n. 4. ad 1.

illius erunt, qui etiam per malos bona facit: de qua re paullo post dicemus (1). Novum ergo testamentum illic scribitur per renovationem, quod non omni modo deletum est per vetustatem. Nam sicut ipsa imago Dei renovatur in mente credentium per testamentum novum, quam non penitus impietas aboleverat; remanserat enim utique id, quod anima hominis nisi rationalis esse non potest: ita etiam ibi lex Dei non ex omni parte deleta per injustitiam; profecto scribitur renovata per gratiam: nec istam inscriptionem, quae justificatio est, poterat efficere in Judaeis lex in tabulis scripta, sed solum praevaricationem (2).

§. CL.

Duorum ergo testamentorum haec est brevissima, et apertissima differentia; timor, et amor: illud ad veterem, hoc ad novum hominem pertinet; utrumque tamen unius Dei misericordissima dispensatione prolatum, atque conjunctum (3): unde et lex in tabulis lapideis scripta dicitur digito Dei (4); et per Spiritum Sanctum diffunditur caritas Dei in cordibus nostris (5), et scribitur lex non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis (6); ipse

(1) Vid. interim S. Aug. L. de Spir. et Litt. n. 48., et L. IV. c. Julian. n. 22. et infra §. CLXI.
(2) Vid. cit. n. 48. Lib. de Spir. et Litt.
(3) Vid. S. August. L. c. Adimantum c. 17. n. 2., et S. Thom. 1. 2. q. 107. a 1. ad 2.
(4) Exod. XXXI. 18. et Deuteron. IX. 10.
(5) Rom. V. 5.
(6) II. Cor. III. 3.

ipse autem Spiritus Sanctus; hoc est Spiritus Dei, in Evangelio etiam dicitur digitus Dei (1). Prioribus itaque saeculi temporibus dispensandum judicavit Deus Testamentum vetus, quod pertineret ad hominem veterem, a quo ista vita necesse est incipiat (2): novum autem Testamentum per Jesum Christum, in quo innovamur, hoc est novum hominem induimur; quia et ille homo novus venit: quid enim tam novum, quam nasci de Virgine? In illo ergo quia non erat quod in eo innovaret praceptum, nullum quippe habebat peccatum, novus partus est datus, ut in nobis novus homo crearetur non ad terrenam felicitatem sperandam, sicut in veteri testamento, sed ad appetendam, diligendamque coelestem (3).

§. CLI.

Hinc declaratur apertius divinae per Jesum Christum gratiae necessitas ad omnes, et singulos actus bonos. Non est enim in potestate nostra, ut vel occurrat, quod nos delectare possit, unde proficiamus ad Deum; vel delectet, cum occurrerit (4); sed et ut innotescat, quod latebat, et ut suave fiat, quod non delectabat, Gratiae Dei est, quae hominum adjuvat voluntates (5). Porro non solum non

(1) Confer. Matth. XII. 28. cum Lucae XI. 20.
(2) Vid. S. Aug Lib. de Grat. novi Testamenti, sive Epist. CXL. al. CXX. ad Honoratum n. 5.
(3) Vid. S. Aug. Tract. XXX. in Joan. n. 7.
(4) Vid. S. August. Lib. I. ad Simplician. q. 2. n. 21.
(5) Vid. S. Aug. Lib. II. de Peccat. mer. n. 26.

non fit bonum, si lateat veritatis via; sed et cum id, quod agendum, et quo nitendum est coeperit non latere, nisi etiam delectet, et ametur, non agitur, non suscipitur, non bene vivitur (1). Et ideo benedictio dulcedinis appellata est Gratia Dei (2), qua fit in nobis, ut nos delectet, et cupiamus, hoc est amemus, quod praecipit nobis; in qua si nos non praevenit Deus, non solum non perficitur, sed nec inchoatur ex nobis (3).

§. CLII.

Nam etsi qui sub lege sunt, nec a spiritu gratiae docuntur; abstinent ab opere peccati, et conspicua opera legis faciunt; non propterea putandum est, ipsos legem implere. Quando enim timore poenae, non amore justitiae fit bonum, nondum bene fit bonum, nec fit corde, quod fieri videtur in opere, quando mallet homo non facere, si posset impune (4). Hinc est quod Apostolus humiliter, et veraciter confitetur: *Et nos omnes aliquando conversati sumus in desideriis carnis nostrae facientes voluntatem carnis, et cogitationum* (5); et alio loco (6): *Eramus aliquando et nos insipientes,*

(1) Vid. S. Aug. Lib. de Spir. et Litt. n. 5.
(2) Psal. XX. 4.
(3) Vid. S. Aug. Lib. II. c. duas Epist. Pelag. n. 21.
(4) S. Aug. Lib. II. c. duas Epist. Pelag. cit. n. 21. Vid. et de Spir. et Litt. n. 13., et 56, et de Nat. et Grat. n. 67. Vid. et S. Th. 1. 2. q. 107. a. 1. ad 2., et 2. 2. q. 19. a 4. ad 1., et 2.
(5) Ephes. II. 3.
(6) ad Tit. III. 3.

tes, *iucreduli*, *errantes*, *servientes desideriis*, *et voluptatibus variis*, *in malitia*, *et invidia agentes*, *odibiles*, *odientes invicem*; et nihilominus pari veracitate testatur (1), quod fuerat secundum justitiam, quae in lege est, conversatus sine querela. Aliud est enim voluntate benefaciendi benefacere; aliud autem ad malefaciendum sic voluntate inclinari, ut etiam faceret, si hoc posset impune permittit. Nam sic profecto in ipsa intus voluntate peccat, qui non voluntate, sed timore non peccat. In his itaque interioribus suis talem se fuisse sciens Apostolus ante gratiam Dei, apertissime confessus est (2), se aliquando fuisse mortuum in delictis, et peccatis: licet quae legis erant conspicuo opere complens, in ipsa lege conversatum se dixerit sine querela (3).

§. CLIII.

Quid ergo? Timor gehennae malus est? Absit. Nam si propterea malus dicendus esset, quia id solum agit in homine, ut refugiat malum poenae ut autem homo ita nolit facere malum, ut nec faceret etiamsi posset impune, nempe ut refugiat malum culpae, dilectionis est, non timoris servilis: profecto mala esset lex, quae non talis data est, quae posset vivificare (4); de qua additum est,

(1) Philipp. III. 6.
(2) Cir. loc. ad Ephes., et ad Titum.
(3) Vid. S. Aug. Lib.I. c. duas Epist. Pelag.n.15.
(4) Galat. III. 22.

est, quod occidit, nisi sit cum spiritu vivificante conjuncta (1): mala itidem dicenda esset scientia, de qua dicitur (2), quod inflat, utique si non sit cum caritate, quae ne scientia inflet aedificat. Sicut igitur lex quidem sancta, et mandatum sanctum, et justum, et bonum (3); et bona est scientia, qua utique dispellitur malum ignorantiae per peccatum inductae; et tam lex, quam scientia a Deo est: sic et bonus, et justus, et sanctus est timor gehennae; atque oritur non ex vitiosa cupiditate, sed ex fide, ex amore, quo sibi bene esse vult in futuro saeculo, qui quidem amor de se bonus est, et rectus; atque ex consideratione rectissimae justitiae Dei, quem repraesentat non ut Dominum durum, imperiosum, injustum, intractabilem (4); sed ut Dominum supremum, odio habentem iniquitatem, non acceptatorem personarum, et immutabilis aequitatis. Nec male timet, sed prorsus bene timet, qui timet ardere in gehenna: unde, ut optime observat S. Augustinus (5), et ipse Dominus ablato timore vano, et mundano amittendi temporalia, qualem (6) habuit Pe-

(1) II. Cor. III. 6.
(2) I. Cor. VIII. 1.
(3) Rom. VII. 12.
(4) Vid. Prop. LXVII. inter CI. prosctiptas in Bulla *Unigenitus*.
(5) Vid. S. Aug. Serm. CLXI. al. XVIII. de Verb. Apost. n. 8.
(6) Vid. S. Aug. Lib. de Grat., & Lib. Arbit. n. 39., et S. Th. 2. 2. q. 19. a. 9. in c.

Petrus, cum Christum negavit, gehennae timorem subjecit, et ait, ubi dixit, nolite timere eos, qui corpus occidunt, et postea non habent quid faciant. *Sed eum timete, qui habet potestatem et animam, et corpus perdere in gehennam ignis: ita dico vobis, hunc timete* (1). Sed quomodo non vitio legis, sed vitio hominis, cui lex imposita est, inventum est homini mandatum, quod erat ad vitam, hoc esse ad mortem (2): nec vitio scientiae, sed ejus, cui datur scientiae donum, fit, ut ipsa scientia inflet; sic et vitio timentis, non vitio timoris fit, ut bonum, quod agitur, non bene agatur, et intus in voluntate peccetur.

§. CLIV.

Servilitas ergo timoris inordinata est, ac per hoc mala; in eo quippe sita est, ut poena timeatur tanquam principale malum, dum scilicet bonum proprium amatur tanquam ultimus finis, adeoque amore inordinato. Haec porro servilitas non est ipsi timori servili, scilicet timori poenae, essentialis; potest enim timor ipse ordinari in Deum, ut non timeatur poena tanquam malum principale; quod tamen non est nisi per caritatem (3): cum qua nequit quidem consistere servilitas timoris; at utique, quamdiu perfecta non est, consistit timor poenae ab ipsa recte ordinatus, quo timetur quidem poena, ut nociva proprii boni, non tamen in isto bono constituitur a ti-

(1) Luc XII. 4.
(2) Rom. VII. 10.
(3) Vid. S. Th. 2. 2. q. 19. a 4. in c.

timente ultimus finis (1); unde magis ex caritate timetur malum culpae. Bonus est ergo et iste timor (2), usque adeo, ut remota servilitate remaneat quoad substantiam cum caritate (3); licet actus hujus timoris stet cum sola caritate imperfecta, et initiali; perfecta enim caritas foras mittit timorem (4): ubi enim perfecta caritas est, non aliter timetur supplicium, quam prout importat separationem a Deo, quae amanti est maxima poena, quam refugit qui seipsum diligit propter Deum, et in Deo (5). Utilis praeterea est timor gehennae, usque adeo, ut observante S. Augustino (6), testetur Ecclesiasticus (7), Eum, qui sine timore est, non posse justificari; ipsumque (8) Psalmista appellet initium Sapientiae; quia nisi (9) timore incipiat homo Deum colere, non perveniet ad amorem; Pietas quippe (10) timore inchoatur, caritate perficitur. Utilis nempe est, quia pellit timorem mundanum (11), custodit ho-

(1) Vid. S. Th. ibid. a. 6. in c.
(2) Vid. S. Aug. Enar. in Ps. CXXVII. n. 8.
(3) Vid. S.Th. 2. 2. q.19. a 6. in c., et a. 8. ad 2.
(4) I Joan. IV. 18.
(5) Vid. S. Aug. cit. Enarrat. n. 9.; et S. Th. 2. 2. q. 19. a 6. in c., et a 10. in c.
(6) Vid. S. Aug. Tract. IX. in I. Epist. Joan. n. 4.
(7) Ecclesiastic. I. 28.
(8) Psal. CX. 10.
(9) Vid. S. Aug. Enar. in Ps. CXLIX. n. 14.
(10) Vid. S. Aug. Lib. de vera Relig. n. 33.
(11) Vid. S. Aug. Serm. LXV. al. XV. inter additos a Parisiens. n. 1.

hominem, et continet ne faciat quod malum est; et volentem peccare animum interiorem non sinit: est enim quidam custos, quasi paedagogus legis (1); atque ita pellit consuetudinem malorum operum (2), fitque paullatim consuetudo justitiae, et incipit quod durum erat amari, et dulcescit Deus, et jam incipit homo juste vivere, non quia timet poenas, sed quia amat aeternitatem (3); et qui prius timore poenae retrahebatur ne faceret, jam caritate agitur, ut nolit facere, etiamsi posset impune admittere (4).

§. CLV.

Merito proinde Sacrosancta Synodus Tridentina (5) anathema esse voluit, si quis dixerit, gehennae metum, per quem ad misericordiam Dei de peccatis dolendo confugimus, vel a peccando abstinemus, peccatum esse, aut peccatores pejores facere; eumque Divinae justitiae timorem enumerat inter dispositiones ad ipsam justitiam recuperandam, atque eo utiliter peccatorem concuti docet (6). Est ergo gehennae timor donum Dei, nondum quidem gratia juvans, sed littera

N mi-

(1) S. Aug. Serm. CLXI. al. XVIII. de Verb. Apost. n. 8.
(2) Vid. S. Aug. Lib. de Grat. N. T., seu Epist. CXL., al. CXX. ad Honoratum n. 45.
(3) Vid. S. Aug. Enar. in Ps. CXXVII. n. 7.
(4) Vid. S. Aug. cit. n. 8. Serm. CLXI.
(5) Sess. VI. Can. 8.
(6) Trid. Sess. VI. in Decr. de Justif. cap. 6.

minans (1), ad gratiam tamen ducens, tamquam paedagogus noster in Christo, non secus ac lex: non sufficit ad justificationem etiam in Sacramento obtinendam; ad eam tamen disponit; ab hujusmodi quippe timore salubriter concussi peccatores ad considerandam Dei misericordiam sese convertunt, in spem eriguntur, fidentes, Deum sibi propter Christum propitium fore: illumque tamquam omnis justitiae fontem diligere incipiunt, ut docet Tridentinum (2): quae caritas si absit, remanet vitio voluntatis adnexa timori servilitas, et in ipsa voluntate peccandi cupiditas, quam non excludit timor poenae, sed amor justitiae: objectum quippe timoris servilis est malum poenae, non malum culpae; hoc postremum, objectum est timoris filialis, sive casti, qui includitur in caritate (3).

§. CLVI.

Quemadmodum autem qui serviliter timens poenam, nec adhuc justitiam diligens facit legis praecepta, quod bonum est facit, sed nondum bene; ita pariter qui ex alio quolibet fine secundum justitiae regulam operantur, nec refert in Deum tanquam in ultimum finem, id quod facit bonum, non bene facit. Non enim officiis, sed finibus a vitiis discernendae sunt virtutes. Officium est autem

(1) Vid. S. Aug. cit. n. 8. Serm. CXLI.

(2) Vid. Trident. Sess. VI. in Decret. de Justific. cap. 6. Vid. et S. Aug. Lib. de Spir. et Lit. n. 51.

(3) Vid. S. Th. 2. 2. q. 19. a. 4. in c., et a. 5. in c.

tem quod faciendum est: finis vero propter quod faciendum est. Quare cum facit homo aliquid, ubi peccare non videtur, si non propter hoc facit, propter quod facere debet, peccare convincitur. Absit enim, ut virtutes verae cuiquam serviant, nisi illi, vel propter illum, cui dicimus: *Deus virtutum converte nos*. Proinde virtutes, quae carnalibus delectationibus, vel quibusque commodis, et emolumentis temporalibus serviunt, verae prorsus esse non possunt; quae autem nulli rei servire volunt; nec ipsae verae sunt. Verae quippe virtutes Deo serviunt, a quo donantur: quidquid autem fit ab homine, et non propter hoc fit, propter quod fieri debere vera sapientia praecipit, et si officio videatur bonum, ipso non recto fine peccatum est (1).

§. CLVII.

Sic ergo aliquid rationalis intentionis nostrae in usum mutabilium, corporaliumque rerum, sine quo haec vita non agitur, dirigendum est, non ut conformemur huic saeculo, finem constituendo in bonis talibus, et in ea detorquendo beatitudinis appetitum: sed ut quidquid in usu temporalium rationabiliter facimus, aeternorum adipiscendorum contemplatione faciamus, per ista transeuntes, illis inhaerentes (2). Non quod per singula momenta actus nostros debeamus in Deum referre; hoc enim non est possibile in hac vita: sicut non est

 pos-

(1) Vid. S. Aug. Lib. IV. c. Julian. n. 21.
(2) Vid. S. Aug. L. XII. de Trinit. n. 21.

possibile, quod semper de Deo cogitetur: hoc quippe pertinet ad perfectionem patriae. Sed quod omnia virtute referantur in Deum hoc pertinet ad perfectionem caritatis, ad quam omnes tenentur (1). Hinc est quod Apostolus (2) praecipit, Omnia nostra in caritate fieri; idest omnia referre ad finem caritatis, scilicet ut fiant propter Deum (3); quod non est aliud, quam habere Deum tamquam ultimum finem (4): adeo ut, eodem Apostolo teste (5), Sive manducemus, sive bibamus, sive aliquid faciamus, debeamus omnia in gloriam Dei facere; idest cum invocatione Creatoris, et ex intentione, ut Deus laudetur, et glorificetur (6). Quidquid enim homo veluti recte fecerit, nisi ad pietatem, quae ad Deum est, referatur, rectum dici non oportet (7). Rectus revera ordo amoris, ac per hoc vera virtus, quippe quae (8) non sit nisi ordo amoris, postulat, ut diligatur Deus super

per

(1) Vid. S. Th. in quaestionibus disputatis de Caritate a. 11. ad 2.

(2) I. Cor. XVI. 14.

(3) Vid. S. Th. Lect. II. in cit. cap. XVI. Epist. I. ad Cor.

(4) Vid. S. Th. in q. disputatis de Caritate a. 11. ad 3.

(5) I Cor. X. 31.

(6) Vid. S. Th. Lect. VII. in cit. cap. X. I. Cor. et S. Basil. in Regulis fusius disputatis Interrogat. 5. et S. Ambros. Lib. I. in Lucam. n. 84.

(7) S. Aug. Lib. de Fid. et Operib. n. 11.

(8) Vide S. Aug. Lib. XV. de C. D. c. 22.

per omnia: cujus quidem dilectionis perfectio hominibus datur in praecepto, ut ex toto corde, ex tota mente, ex tota anima, ex tota fortitudine Deum diligamus. Hoc autem praecepto injungitur homini, primo quidem, ut homo omnia in Deum referat, sicut in finem: et in hoc homo diligit Deum ex toto corde: II., injungitur homini, ut intellectum suum Deo subjiciat, ea credens, quae divinitus traduntur; et sic diligitur Deus ex tota mente: III., ut quaecumque homo amat, in Deo amet, et universaliter omnem suam affectionem ad Dei dilectionem referat; et sic Deus ex tota anima diligitur: IV. ut omnia exteriora nostra verba, et opera ex Dei caritate firmentur: et sic Deus ex tota fortitudine diligitur (1).

§. CLVIII.

Ex his apparet, illos ex Gentibus, quos dicit Apostolus (2); ea quae legis sunt naturaliter facere, si intelligi voluit non fideles ex Gentibus, sed utique infideles, nequaquam veras habuisse virtutes, quibus boni essent; quas si habuissent, iisque boni fuissent, utique Deo placuissent; cui tamen impossibile est, sicut idem dicit Apostolus (3), placere sine fide, utique Christi, in quo (4) Deus definivit fidem omnibus. Unde quod

(1) S. Th. Opusc. XVIII. cap. 5. Vid. et Aug. Lib. XII. de Trinit. n. 11.
(2) Rom. II. 14.
(3) Hebrae. XI. 6.
(4) Act. XVII. 31.

de iisdem Gentibus subdit Apostolus (1), quod defendentur cogitationibus suis in die cum judicabit Deus occulta hominum, debemus intelligere quod ad hoc eos in die judicii cogitationes suae defendent, ut tolerabilius puniantur, quia naturaliter, quae legis sunt, utcumque fecerunt, scriptum habentes in cordibus opus legis hactenus, ut aliis non facerent, quod perpeti nollent: hoc tamen peccantes, quod homines sine fide non ad eum finem ista opera retulerunt, ad quem referre debuerunt (2). Fides quippe est per dilectionem operans, quae in eum finem refert opera, ad quem referenda sunt: omnis enim rectus motus voluntatis ex recto amore procedit. Quare liberum arbitrium desertum divino adjutorio, quantalibet scientia legis excellat; nullo modo habebit justitiae soliditatem, sed inflationem impiae superbiae, et exitiosum tumorem (3); nam homo secundum appetitum voluntatis rationalis propter corruptionem naturae, sequitur bonum privatum, nisi sanetur per gratiam Dei (4).

§. CLIX.

Apparet rursus nullum dari actum humanum, seu moralem, indifferentem in individuo (5); licet plures dentur indifferentes secundum speciem, quo-

(1) Cit. cap. II. Epist. ad Rom. vers. 15.
(2) S. Aug. Lib. IV. c. Julian. n. 25.
(3) Vid. S. Aug. Epist. CLVII. al. LXXXIX. ad Hilarium Syracusan. n. 5.
(4) S. Th. 1. 2. q. 109. a. 3. in c.
(5) Vid. S. Th. 1. 2. q. 18. a 9. per tot.

quorum scilicet objectum non includit aliquid pertinens ad ordinem rationis, ut ei vel convenire possit, vel repugnare; velut levare festucam de terra etc. (1). Actus enim moralis non solum habet bonitatem, aut malitiam ex objecto, a quo habet speciem sed etiam ex circumstantiis (2); inter quas potissimum attenditur ratio finis (3). Nam cum rationis sit ordinare actus a ratione deliberativa procedentes in debitum finem; si non sit ad debitum finem ordinatus, ex hoc ipso repugnat rationi, et habet rationem mali, etiamsi ex objecto, aliisque circumstantiis bonus esset, si vero ordinetur ad debitum finem, convenit cum ordine rationis: unde nisi aliunde vel ex objecto, vel ex aliqua alia circumstantia sit malus, habet rationem boni. Necesse est autem, quod vel ordinetur, vel non ordinetur in debitum finem: unde necesse est, omnem actum hominis a ratione deliberativa procedentem in individuo consideratum, bonum esse, vel malum (4).

§. CLX.

Non absimili ratione patet, voluntatem elicientem, vel imperantem aliquem actum ex deliberatione rationis non posse in medio ita consistere, ut nec bona sit, nec mala. In his enim, quae sunt ad finem bonitas voluntatis non solum pendet

 ex

(1) Vid. ibid. a. 8.
(2) Vid. S. Th. 1. 2. q. 18. a. 3., et 9. in c.
(3) Ibid. a. 4. et 9. in c.
(4) Vid. cit. a. 9. in c.

ex objecto, sed etiam ex intentione finis (1): atque hinc quoniam finis ultimus voluntatis humanae est summum bonum, quod est Deus, idcirco requiritur ad bonitatem voluntatis humanae, quod ordinetur ad summum bonum, quod Deus est (2). Merito igitur S. Augustinus Julianum Pelagianum laudantem virtutes infidelium tanquam veras virtutes, quas tamen steriles appellabat, quia mercedem vel nullam, vel nonnisi tenuem a Domino consequerentur, inde refellit, quod voluntas non possit esse nisi vel bona, vel mala: ex quo infert, fieri non posse ut steriliter boni simus, sed bonos non esse quidquid steriliter sumus. Arbor enim bona bonos fructus facit (3); absit autem, ut Deus bonus, a quo securis paratur arboribus non facientibus fructum bonum, excidat, et in ignem mittat arbores bonas. Nullo modo igitur homines sunt steriliter boni: sed qui boni non sunt, possunt esse alii minus, alii magis mali (4): ac frustra laudantur sterilium arborum fructus, qui utique aut nulli sunt, aut si mali sunt, laudandi non sunt; aut si fructus boni sunt, profecto steriles arbores non sunt; imo et bonae sunt, quarum fructus boni sunt, et debent Deo placere, cui bonae arbores non possunt nisi placere; falsumque erit, quod

scri-

(1) Vid. S. Th. 1. 2. q. 19. a. 7. per tot.
(2) Vid. ibid. a. 9. in c.
(3) Matth. VII. 17.
(4) Vid. S. Aug. L. IV. c. Julian. n. 22.

scriptum est (1). *Sine fide impossibile est placere Deo* (2).

§. CLXI.

Possunt ergo aliqua bona fieri, non bene facientibus a quibus fiunt; quomodo de timore gehennae, qui in se bonus cum sit, vitio timentis est malus, superius (3) explicavimus exemplo legis, et scientiae. Sicut autem timor ipse datur a Deo, a quo datur et lex, et scientia; quamvis nihil horum sine caritate sit gratia juvans, sed littera minans (4); ita et ista bona, quae homo facit, non vitium vitio pellendo, sed ex amore honestatis, nec tamen bene facit, quia non propter hoc facit, propter quod fieri debent, in illis operatur Deus, qui etiam per malos bene facit (5). Sic non humano operi, sed divino tribuendum est, quidquid in Polemone melius factum est, dum, quamquam Deo non fuerit acquisitus, a dominatu tamen luxuriae est liberatus (6): et scriptura testatur (7), Deum transtulisse cor Regis Assueri ab indignatione ad lenitatem

(1) Hebrae. XI. 6.
(2) Vid. S. Aug. cit. L. IV. c. Julian. n. 32.
(3) Vid. sup. §. CLII.
(4) Vid. sup. §. CLIV.
(5) Vid. S. Aug. cit. L. IV. c. Julian. n. 22. et Lib. de Patientia n. 23., et 24.
(6) Vid. S. Aug. Epist. CXLIV. al. CXXX. ad Cirtenses n. 2.
(7) Esther XV. 10. 11.

tem (1). Quid enim superbius, vel ingratius cogitare potest humana vecordia, quam si putaverit, cum carne pulchrum faciat Deus hominem, animo castum, mansuetum etc. ab homine fieri (2)? Quod si Polemo ex luxurioso continens factus, Assuerus ab injusta indignatione ad justam lenitatem revocatus, caeterique alii, in quibus in ipsa infidelitate operatus est Deus in cordibus eorum, ad inclinandas eorum voluntates in aliquod bonum, ita scivissent, cujus essent dona illa, ut eum abjectis superstitionibus Gentium pie colerent, non solum ille continens, iste mansuetus etc.; sed etiam veraciter sapientes, et salubriter religiosi extitissent, quod eis non tantum ad praesentis vitae honestatem, verum etiam ad futurae immortalitatem valuisset (3). Sed illud Deus contulit eis misericorditer: hoc negavit justo judicio, in cujus manu est cor etiam Regum, ut quocumque voluerit vertat illud (4), quippe (5) non solum bonas hominum voluntates, quas ipse facit ex malis, et a se factas bonas, in actus bonos, et in aeternam dirigit vitam; verum etiam illas, quae conservant saeculi creaturam ita habet in sua potestate, ut eas quo voluerit faciat inclinari, vel ad beneficia quibusdam praestanda, vel ad poenas quibusdam ingerendas, sicut ipse judicat, occultissimo

(1) Vid. S. Aug. L. de Grat. et lib. arb. n. 42.
(2) Vid. S. Aug. cit. n. 2. Epist. CXLIV.
(3) Vid. ibid.
(4) Proverb. XXI. 1.
(5) Vid. S. Aug. Lib. de Grat. et Lib. Arb. n. 14.

simo quidem judicio, sed sine ulla dubitatione justissimo.

§. CLXII.

Immerito autem iis, quae ducibus SS. Augustino, et Thoma statuimus; atque iisdem pene illorum verbis expressimus, de agentibus ex timore gehennae (1), deque operibus Ethnicorum, ac de requisitis ut opus morale sit undequaque bonum, ac vitio careat (2); invidiam creare quispiam niteretur ex damnatione quorumdam articulorum per S. Pium V. in Bulla. *Ex omnibus afflictionibus*, et nonnullarum propositionum per Clementem XI. in Bulla. *Unigenitus*. Injustam criminationem penitus dispulit prae caeteris Claris. oa nnes Laurentius Berti in egregio opere. *Augustinianum systema vindicatum etc.* Damnati nimirum sunt illi articuli, proscriptaeque illae propositiones in sensu caritatis habitualis, et fidei perfectae; quasi nempe ubi non est perfecta fides, et caritas justificans, esse non possit opus moraliter, sive ipso objecto, bonum; quemadmodum observarunt anno MDCCXIV. Episcopi Galliarum XLII. in Pastorali Instructione, cui Nonis Februarii Parisiis congregati subscripserunt, quamque approbarunt LX. alii Gallicani Antistites; iterumque professi sunt anno MDCCXX. centum Galliarum Praesules, qui etiam praedictam Instructionem commendarunt plurimum, suoquo calculo confirma-

(1) Vid. sup. §. CLI.
(2) Vid. sup. §§. CLV., et seq.

marunt (1). S. Augustinus vero, quem cum Sancto Thoma nos sequimur, de aliqua fide, et gratia actuali locutus est, de cujus gratiae necessitate controversia ipsi erat cum Juliano. Quare jure optimo Romani Pontifices insistentes vestigiis Praedecessorum suorum, ac praesertim Coelestini I., qui scribens ad Galliarum Episcopos obtrectatoribus S. Augustini resistendum edixerat (2), *inconcussa*, *tutissimaque* appellarunt dogmata S. Augustini, nec non fidissimi ejus Sectatoris S. Thomae nullumque illorum doctrinae praejudicium allatum esse declararunt per damnationem illorum articulorum, quos S. Pius V., aut illarum propositionum, quas Clemens XI. proscripsit (3). Noverant nimirum, quod eorum Praedecessor Hormisda ad Possesorem Africanum Episcopum declaraverat, *in libris B. Augustini posse cognosci, quid de libero arbitrio, et gratia Dei, Romana*, (hoc est, Catholica) *sequatur, et asseveret Ecclesia*; nec eos latebat, non aliam S. Thomae Aquinatis esse in hujusmodi controversiis doctrinam, quam quae a S. Augustino fuerat in Libris, Epistolis, Opusculis contra Pelagianos, et Semipelagianos tradita,

(1) Vid. Berti in Augustinian. System. Vindic. Dissert. I. cap. 1. §. IV. n. 1. et 3.; et Dissert. III. cap. I., §. VI. n. 2.

(2) Vid. Epist. Coelest. ad Episc. Gall. c. 2.

(3) Vid. Brevia Alexandri VII. die 7. Augusti 1660. ad Lovaniens., Benedict. XIII. 6. Novembris 1724. ad FF. Praedicatores, et Clementis XII. 6. Octobris 1733. ad eosd.

dita, et propugnata: quare utrumque merito conjunxerunt.

§. CLXIII.

Per Moysem igitur lex data est: Gratia, et veritas per Jesum Christum facta est (1). Hoc autem non sic intelligendum est, quasi justus ex fide Christi vivens, non teneatur observare agendae vitae praecepta, quae scilicet ad pietatem, bonosque mores pertinent: solaque ad salutem necessaria sit fides divinorum promissorum, ut impie blasphemant Novatores. Non ita profecto. Si enim Christus nobis abstulit illud gravissimum multarum observationum jugum, ne carnaliter circumcidamur, ne pecorum victimas immolemus, et caetera hujusmodi; sed voluit ut ea, utpote quae non ad agendam, sed ad significandam vitam data fuerant, spiritualiter intellecta teneamus, remotisque umbris significantibus, in rerum ipsarum, quae significabatur, luce vigilemus: at non potest dici, non ad nos pertinere, quod scriptum est (2), ut alienum quodcumque perditum quisquis invenerit reddat ei, qui perdidit; et alia multa similia, quibus pie, recteque vivere discitur; maximeque ipsum Decalogum, qui duabus illis lapideis tabulis continetur, excepta Sabbati observatione carnali, quae spiritalem sanctificationem, quietemque significat. Quis enim dicat, non debere observare Christianos, ut uni Deo Religionis obsequio

(1) Joan. I. 17.
(2) Lev. VI. 3.

sequio serviatur, ut idolum non colatur etc. Quis est tam impius, qui dicat ideo se ista legis non custodire praecepta, quia est ipse Christianus, nec sub lege, sed sub gratia constitutus (1)? Lex ergo non est posita justo (2), ut scilicet ea utatur tanquam vehiculo, qui jam pervenit ad justitiam, nec per legem operum, sed per legem fidei; nec solo timore poenae legem facit, sed dilectione justitiae, qua legitime utitur lege bona (3). Unde testatus est Dominus (4), Se non venisse legem solvere, sed adimplere: et ostendit quomodo impleretur, docens (5), universam legem in duobus dilectionis Dei, et proximi pendere mandatis; unde cum in ipsa lege interiores animi motus expresse non prohiberentur in omnibus, sed solum in aliquibus, et in istis prohibendis poena non apponeretur, ipse expresse manifestavit, ab iis etiam internis actibus, aut etiam externis illis, quos Pharisei non putabant legis praevaricationes, esse penitus abstinendum, ut lex servetur, ut supplicium evadatur (6).

§. CLXIV.

Verum haec plane magna distantia est, quod ista

(1) S. Aug. L. III. c. duas Epist. Pelag. n. 10. Vid. et S. Th. 1. 2. q. 108. a. 3. ad 3.
(2) I. Timoth. I. 9.
(3) Vid. S. Aug. L. de Spir. et Litt. n. 16.
(4) Matth. V. 17.
(5) Matth. XXII. 40.
(6) Vid. S. Th. 1. 2. q. 107. a 3. ad 2. et a. 4. in c., et q. 108. a. 3. ad 1.

ista praecepta faciunt sub lege positi, quos littera occcidit, terrenam felicitatem vel cupiditate adipiscendi, vel timore amittendi; et ideo non vere faciunt; quoniam carnalis cupiditas, qua peccatum commutatur potius vel augetur, cupiditate alia non sanatur. Hi ad vetus pertinent testamentum, quod in servitutem generat, quia facit eos carnalis timor, et cupiditas servos, non Evangelica fides, spes, caritas liberos. Sub gratia vero positi, quos vivificat Spiritus Sanctus., ex fide ista faciunt, quae per dilectionem operatur in spe bonorum non carnalium, sed spiritualium; non terrenorum, sed coelestium; non temporalium, sed aeternorum; praecipue credentes in Mediatorem, per quem sibi non dubitant et spiritum gratiae subministrari, ut illa faciant, et ignosci posse cum peccant. Hi pertinent ad novum testamentum, filii promissionis regenerati Deo Patre, et libera Matre (1).

§. CLXV.

Hujus generis fuerunt antiqui omnes justi, et ipse Moyses minister testamenti veteris, heres novi: quia ex fide, qua nos vivimus, una eademque vixerunt (2). Quis enim audeat negare ad novum pertinere testamentum, qui dicit (3).

Cor

(1) Vid. S. August. cit. L. III. c. duas Epist. Pelag. n. 11.
(2) Vid. S.Aug. ibid., S. Th. I. 2. q.107. art.1.ad 2.
(3) Psal. L. 12.

Cor mundum crea in me Deus, et spiritum rectum innova in visceribus meis? Aut illum qui dicit (1)? *Posuit super petram pedes meos, et direxit gressus meos, et immisit in os meum canticum novum hymnum Deo nostro?* Vel illum ante testamentum vetus, quod est a monte Sina, Patrem fidei nostrae Abraham, cujus nos imitando fidem ad novum testamentum pertinemus, et cui dictae sunt promissiones (2)? Non enim vetus illud dicitur ex anteriore tempore, hoc novum ex posteriore. Sed primo in his nominibus Veteris, et Novi, revelationes eorum considerantur, non institutiones. Per Moysem quippe revelatum est Testamentum vetus, per quem data est lex sancta, et justa, et bona, per quam fieret non abolitio, sed cognitio peccati, qua convincerentur superbi volentes constituere suam justitiam, quasi divino adjutorio non egentes, et rei facti litterae confugerent ad gratiae spiritum, non sua justitia justificandi, sed Dei, hoc est, quae illis esset ex Deo. Revelatio autem novi testamenti in Christo facta est, cum est manifestatus in carne, in quo apparuit justitia Dei, idest quae hominibus ex Deo est (3). Alia etiam de caussa illud Testamentum dicitur vetus, hoc novum; quia nempe illud pertinet ad vete-

rem

(1) Psal. XXXIX. 3. et 4.

(2) Vid. S. Aug. L. III. c. duas Epist. Pelag. n. 8., et Serm. IV. al. XLIV. de diversis n. 11.

(3) Vid. S. August. Lib. III. c. duas Epist. Pelag. n. 13.

rem hominem, a quo necesse est hominem incipere: novum autem ad hominem novum, quo debet homo ex vetustate transire. Ideo in illo sunt promissa terrena, in isto promissa coelestia: quia et hoc ad Dei misericordiam pertinet, ne quisquam vel ipsam terrenam qualemcumque felicitatem, nisi a Domino Creatore universitatis putet cuiquam posse conferri. Sed si propter illam colatur Deus, servilis est cultus, pertinens ad filios ancillae: si autem propter ipsum Deum, ut in aeterna vita sit Deus omnia in omnibus, liberalis est servitus pertinens ad filios liberae, quae est mater nostra aeterna in coelis, quae prius tanquam sterilis apparebat, quando perspicuos filios non habebat (1). Dispensabant ergo illi Sancti pro congruentia temporis Testamentum vetus, pertinebant vero ad Testamentum novum. Nam et quando temporalem felicitatem agebant, aeternam veram, et praeferendam intelligebant, et istam ministrabant in mysterio, ut illam consequerentur in praemio. Et si quando patiebantur adversa, ad hoc patiebantur, ut evidentissimo divino adjutorio liberati glorificarent Deum omnium bonorum largitorem, non solum sempiternorum, quae pie sperabant; verum etiam temporalium, quae prophetice gubernabant (2). Sicut ex opposito in ipso populo

O Chri-

(1) Vid. S. August. Ibid., et Lib. de Spir. et Litt. n. 35.

(2) Vid. S. Aug. L. de Grat. Novi Testamenti, sive

Christiano, qui carnaliter vivunt, carnaliter credunt, carnaliter sperant, carnaliter diligunt, et propter haec terrena Deo serviunt, adhuc ad vetus pertinent Testamentum, nondum ad novum (1). Habent isti Evangelium in codice, nondum in corde; ac per hoc est eis littera occidens. Per litteram enim intelligitur quaelibet Scriptura extra hominem existens etiam moralium praeceptorum, qualia continentur in Evangelio, unde etiam littera Evangelii occidit, nisi adsit interius gratia fidei sanans (2):

§. CLXVI.

Quamvis ergo a Deo sit lex, et doctrina, quam etiam per eos, qui plantant, et rigant ministrat exterius, ejusque donum sit timor, quo poena refugitur; attamen neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat; nec in nobis germinat sive fides sive bona voluntas, nisi ipse Deus det incrementum; neque terra nostra, idest voluntas nostra, dat fructum boni operis, nisi Deus det suavitatem, ut scilicet cognita sive per legem, sive per interiorem

---

sive Epist. CXL. al. CXX. ad Honoratum n. 5. Vid. et Lib. de Gest. Pelag. n. 14., et Lib. III. c. duas Epist. Pelag. n. 8.

(1) Vid. S. Aug. in Fragmento Serm. III. et Serm. IV., al. XLIV. de diversis n. 12., et S. Th. 1. 2. q. 107. a. 1. ad 2.

(2) S. Th. 1. 2. q. 106. a. 2. in c. et ad 3. ex S. Aug. Lib. de Spir. et Litt. n. 23. 24. 29. Vid. et sup. §§. CXLVII. et CL.

riorem mentis illustrationem diligamus, et sancto amore faciamus.

§. CLXVII.

Sed an Deus suavitatem, et incrementum dare uno verbo sanctam dilectionem inspirare, et subministrare dicitur metaphorice, quatenus voluntatem excitat, et allicit ad fidem, ad spem, ad amorem, eique suadet omne quod bonum est, expectatque ipsius consensum, ut deinde eam adjuvet ad perficiendum bonum, ad quod praestandum gratiae excitanti, invitanti, allicienti, suadenti ex viribus naturalibus sui liberi arbitrii consensit? Hoc si est; non ergo receditur a lege, atque doctrina. Removeantur enim ambiguitates, et involucra verborum: dicant, qui gratiam profitentur se admittere et excitantem, et adjuvantem, et operantem, pendulam tamen a voluntatis consensu; dicant, inquam, quomodo excitet, quomodo adjuvet, quomodo in nobis operetur bonum? Instamus, urgemus: exponant nobis. Et non invenient, quid aliud dicant, quam Deum nos excitare, dum cordis nostri oculos aperit, dum nobis, ne praesentibus occupemur, futura demonstrat: adjuvare, dum diaboli pandit insidias dum nos multiformi, atque ineffabili dono gratiae coelestis illuminat: operari autem in nobis velle, quod bonum est, velle quod sanctum est, dum nos terrenis cupiditatibus deditos, et praesentia tantummodo diligentes futurae gloriae magnitudine, et praemiorum pollicitatione succendit; dum revelatione sapientiae in desiderium sui stupentem

excitat voluntatem; dum nobis suadet omne, quod bonum est. Hoc, nec aliud quidpiam, est Deum moraliter movere voluntatem, et sic movendo eam excitare, atque adjuvare, et in ea operari motum ipsius, sive ipsum velle. Si quid aliud praeterea est, exponant ipsi: sed caveant ne aliis, atque aliis locutionibus eamdem inaniter versent significationem. Nobis certe non alia affulget notio motionis moralis, nec aliam in ipsorum libris, quoscumque legere potuimus, aut apud alios sive Philosophos, sive Theologos datum est invenire. Hoc si est; ad id igitur dari putant gratiam Dei, ut divina praecepta, et promissa discamus; ad hoc enim valet oculorum cordis adaperitio, demonstratio futurorum, manifestatio diabolicarum insidiarum, et per multiforme atque ineffabile donum gratiae coelestis illuminatio (1): et gratiam, qua Deus operatur in nobis velle quod bonum est, nullam aliam dicunt, quam legem, atque doctrinam. In lege namque, et doctrina sanctarum scripturarum futurae gloriae, atque praemiorum promittitur magnitudo: ad doctrinam pertinet etiam quod sapientia revelatur, ad doctrinam pertinet cum suadetur omne, quod bonum est: et si inter docere, et suadere, vel potius exhortari, distare aliquid videtur; etiam hoc tamen doctrinae generalitate concluditur, quae quibusque sermoni-

bus

(1) Vid. S. Aug. lib. de Grat. Christ. n. 8.

bus vel litteris continetur ; nam et sanctae scripturae et docent, et exhortantur ; et potest esse in docendo , et exhortando etiam hominis operatio (1) .

§. CLXVIII.

Hujusmodi porro adjutoria gratiae moraliter tantum voluntatem moventis , ac per hoc demonstrantis, et revelantis quid agere debeamus , non donantis, atque adjuvantis, ut agamus, adjutoria sunt possibilitatis, non autem voluntatis, et actionis ; tribuunt nempe , ut velle, et agere valeamus, non etiam ut velimus, et agamus (2) : per ea Deus stat ad ostium, et pulsat, et invitat , et expectat ; non autem donat ac tribuit, ut ei aperiamus , eumque recipiamus: demonstratur homini veritas , ut ad eam possit venire ; non trahitur , ut veniat : ostenditur ei via bona per quam ambulet ; sed non in eam deducitur : vocatur ut veniat, invitatur ut obediat, sed consensus , et obedientia , ubi caeteroquin est omne meritum , ipsius hominis voluntati , nativisque arbitrii viribus, non Dei dono tribuitur. Ita fit, ut merita nostra non sint Dei dona , et operetur in nobis Deus , ut velle possimus, non autem ipsum velle nostrum ; et firmior , ac validior censeatur voluntas hominis lapsi, quam fuerit illa hominis integri , qui acceperat adjutorium, sine quo in accepta justitia perseverare non posset, ut autem vellet in ejus re-

(1) Vid. S. Aug. L. cit. de Grat. Christ. n. 11.
(2) Vid. S. Aug. L. de Grat. Christ. n. 3. 4. 6.

linquebatur arbitrio, quodcumque demum fuerit illud adjutorium; nec tamen perseveravit; cum nunc plures obtemperent vocationi, et perseverent nullo alio, siquidem illos, quos hic refellimus, audiamus, adjutorio, quam quo possint si velint, ut autem velint arbitrio ipsorum committitur. Sed quid aliud docere poterant, qui censent, hominem per Adae peccatum in facultatibus naturalibus nullam subiisse diminutionem, et tam integras esse in nobis naturales arbitrii vires, quam fuerunt in Adam ante peccatum (1)?

§. CLXIX.

Neque ab hujusmodi sententia recedunt, qui docent, quando Deus efficaciter vult convertere hominem, eumdem vocare sub iis externis circumstantiis loci, temporis etc. sub quibus praevidet illum consensurum, eoque modo, qui congruat indoli, ingenio, temperamento ejus, qui vocatur. Nam et in hoc Congruistarum systemate Gratia nullam aliam habet vim movendi voluntatem, nisi moralem, et metaphoricam. Quare neque sic receditur a lege, et doctrina; sed adstruitur adjutorium possibilitatis, non voluntatis, et actionis; ut obedientia Deo vocanti, in qua est omne meritum, non ab eo credenda sit donari qui salvat, sed a naturalibus viribus arbitrii hominis, qui salvatur; nec considerant, qui illud systema propugnant,

(1) Vid. sup. §. CXLIII.

gnant, se gratiam Dei illis voluntatibus subdere, quas ab ea non negant esse praeventas (1).

§. CLXX.

Confitemur igitur, sicut quemlibet, qui velit non solum vocari, verum etiam esse Christianus, confiteri oportere docet S. Augustinus (2), Deum interna et occulta, mirabili, et ineffabili potestate operari in cordibus hominum non solum veras revelationes, sed bonas etiam voluntates (3). Debemus quippe cognitionem, et dilectionem sicut sunt discernenda discernere, quia scientia inflat, caritas vero aedificat; et tunc scientia non inflat, quando caritas aedificat. Utrumque Dei donum est; sed unum minus, alterum majus. Absit ergo, ut sic justitiam nostram supra laudem Justificatoris extollamus, ut horum duorum, quod minus est, ipsius tribuamus adjutorio; quod autem majus est, humano usurpemus arbitrio (4). Usurparemus porro nobis caritatem, si ita sentiremus de Deo, et de nostro libero arbitrio, ut Deus quidem per gratiam nobis revelando, et clarius proponendo objectum amore dignum ad illud diligendum nos, etiam sub quibuscumque congruis circumstantiis, invitaret, hortaretur, alliceret: non etiam crearet in nobis dilectionem, qua illud diligeremus, sed haec ex nobis per vires nostras

(1) Vid. Epist. S. Prosperi ad S. Augustinum inter Augustinian. CCXXV. n. 5., et 6.
(2) Lib. de Grat. Christ. n. 11.
(3) S. Aug. ibid. n. 25.
(4) Idem ibid. n. 27.

exsurgeret. Eam proinde gratiam agnoscimus, qua (1) futurae gloriae magnitudo non solum promittitur, verum etiam creditur, et speratur; nec solum revelatur sapientia, verum et amatur; nec solum suadetur omne quod bonum est, verum et persuadetur: uno verbo, eam gratiam, qua (2) agitur non solum ut facienda noverimus, verum etiam ut cognita faciamus; nec solum ut diligenda credamus, verum etiam ut credita diligamus: ita ut Deus (3) non solum ostendat veritatem; sed etiam impertiat caritatem.

§. CLXXI.

At enim vocationi Dei consentire, vel dissentire propriae voluntatis est (4)? Quis hoc nesciat? quis hoc neget? Verum si propterea falsum est, liberum nostrae voluntatis consensum, quem vocationi praestamus, donum Dei esse; vicerunt ergo Semipelagiani, qui ex quo dicatur homini (5), *Si credideris*, *salvus eris*, quibus in verbis unum exigitur, alterum offertur, inferebant (6), id quod ab homine exigitur, in hominis, non in Dei esse potestate; atque hinc cogebantur asserere cum Pelagianis, etiam nostrum esse, non Dei donum,

facta

(1) S. Aug. cit. lib. de Grat. Christ. n. 11.
(2) S. Aug. cit. lib. de Grat. Christ. n. 13.
(3) S. Aug. eod. lib. de Grat. Christ. n. 14.
(4) Vid. S. Aug. L. de Spir., et Lit. n. 60.
(5) Rom. X. 9.
(6) Vid. Epist. Hilarii ad Augustinum inter Augustinianas CCXXVI. n. 2., et S. Aug. lib. de Praedest. SS. n. 22.

facta carnis mortificare, quia pariter ubi scriptum est (1), *Si spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis*, unum exigitur, alterum offertur (2). Hinc est quod S. Augustinus (3) ingenue fatetur, se aliquando in eodem errore fuisse, in quo videbat esse Massilienses, eo quod non aliter putasset humanam voluntatem praeveniri a gratia, ut credat, quam quia neque credere potest homo quolibet libero arbitrio, si nulla sit suasio, vel vocatio, cui credat; ut autem praedicato nobis Evangelio consentiremus, nostrum esse proprium, et nobis ex nobis esse arbitrabatur. Intelligebat nimirum strenuissimus Gratiae vindex, non posse fidem putari donum Dei, nisi ipsum consensum nostrae voluntatis rebus ad credendum propositis Deus in nobis operetur per gratiam.

§. CLXXII.

Itaque verissime dicitur, propriae voluntatis esse consentire vocationi Dei, vel dissentire. Sed tunc consentit hominis voluntas Deo vocanti, quando ipse Deus vocatione illa alta, et secreta, de qua dictum est (4), *Omnis qui audivit a Patre, et didicit, venit ad me*, sic agit hominis sensum, ut legi, atque doctrinae accomodet consensum (5). Si enim *nec sufficientes sumus cogitare ali-*

(1) Rom. VIII. 13.
(2) Vid. S. Aug cit. n. 22. de Praedest. SS.
(3) Eodem lib. de Praedest. SS. n. 7.
(4) Joan. VI. 45.
(5) Vid. S. Aug. Epist. CCXVII. al. CVII. ad Vitalem n. 5.

aliquid ex nobis, quasi ex nobis, sed omnis sufficientia nostra ex Deo est (1); quomodo ipse consensus, in quo omne meritum consistit, non sit nobis ex Deo, cum cogitare minus sit, quam consentire (2)? Ipse certe consensus non est nisi bonus usus liberi arbitrii. Porro bonus usus ejus jam virtus est, quae in magnis reperitur bonis; et ideo, quia omnia bona et magna, et media, et minima ex Deo sunt, sequitur, ut ex Deo sit etiam bonus usus liberae voluntatis, quae virtus est, et in magnis numeratur bonis (3). Unde cum nemo dubitet, et venire quemquam ad Christum, et non venire, hoc est in Christum credere, vel non credere, arbitrio voluntatis; quibus tamen persuadetur, ut ad eum veniant, satis ipse Dominus demonstravit, ubi ait (4). *Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum: omnis qui audivit a Patre, et didicit, venit ad me*; et paulo post, cum de non credentibus loqueretur, subjunxit (5), *Propterea dixi vobis, quia nemo potest venire ad me, nisi fuerit ei datum a Patre meo* (6). Ecce erant vocati et qui crediderunt in Christum, et qui in eum non crediderunt; illi non isti consensum praestiterunt vocanti: et ideo uti-

(1) II. Cor. III. 5.
(2) Vid. S. Bernard. lib. de Grat., et liber Arbitr.
(3) Vid. S. Aug. lib. I. Retract. c. 9. n. 6.
(4) Joan. VI. 44., et 45.
(5) Ibid. vers. 66.
(6) Vide Aug. lib. de Grat. Christ. n. 11. et 15. et lib. de Praedest. SS. n. 14.

utique, quia voluerunt illi, noluerunt isti. Attamen si quaeratur ulterius cur voluerint consentire illi, noluerint isti, respondet veritas Christus (1), *Dixi vobis, quia nemo potest venire ad me, nisi fuerit ei datum a Patre meo*. Certum est ergo nos consentire si volumus, et velle cum volumus: sed ille facit ut velimus bonum, de quo dictum est (2), *Praeparatur voluntas a Domino*, de quo dictum est (3); *A Domino gressus hominis diriguntur, et viam ejus volet*, de quo dictum est (4), *Deus est, qui operatur in vobis et velle* (5). Sic pariter volentes oramus; et tamen (6) *misit Deus Spiritum Filii sui in corda nostra clamantem, Abba Pater*: volentes loquimur: et tamen si pium est quod loquimur, non sumus nos loquentes (7), *sed Spiritus Patris nostri, qui loquitur* in nobis: volentes diligimus Deum, et proximum: et tamen (8) *caritas ex Deo est*: hoc de caeteris omnibus virtutibus, sine exceptione, profitemur; quod nisi donatae essent nobis non invenirentur in nobis (9). Propterea etiam orat Ecclesia secundum praeceptum Domini pro persecutoribus suis, pro quibus utique nec oraret, nec

(1) Cit. vers. 66. Joan. VI.
(2) Proverb. VIII. secund. LXX.
(3) Psal. XXXVI. 23.
(4) Philipp. II. 13.
(5) Vid. S. Aug. lib. de Grat. et lib. arb. n. 32.
(6) Galat. IV. 6.
(7) Matth. X. 20. et Marci XIII. 11.
(8) I. Joan. IV. 7.
(9) S. Prosper. lib. 5. Collat. n. 54.

nec orandi praeceptum accepisset a Domino, si ipse non facit volentes ex nolentibus (1). Nimirum quamdiu vocatus ad fidem, ad pietatem; ad poenitentiam, ad obedientiam mandatorum etc. vocanti non consentit, sed resistit; habet cor durum, cor lapideum: quando autem consentit, habet cor carneum. Quod si ergo vocanti Deo consentire haberemus ex nobis; ex nobis, illo vocante, abjecto corde lapideo, formaremus nobis cor carneum. Sed absit, ut habeat homo cor carneum, nisi ab illo, qui per Prophetam suum promittens novum Testamentum dixit (2), *Dabo vobis cor novum, et spiritum novum ponam in medio vestri, et auferam cor lapideum de carne vestra, et dabo vobis cor carneum, et faciam ut in praeceptis meis ambuletis, et judicia mea custodiatis, et operemini* (3). Valde enim absurdum est cogitare, quod Deus promittat, et quae promittit non ipse faciat, sed alius. Nam si ipse promittit, et alius facit; hoc jam non est promittere, sed praedicere (4); quod proinde promittit Deus non facimus nos ex nobis per arbitrium, seu naturam; sed facit ipse in nobis per gratiam (5), et ideo a Domino

(1) Vid. S. Aug. lib. de Praedest. SS. n. 15.
(2) Ezechiel. XXXVI. 26. 27.
(3) Vid. S. Aug. lib. de Grat. et lib. arbit. n. 32., et de Praedest. SS. n. 13.
(4) Vid. S. Aug. lib. de Spirt. et lit. n. 40.; et Vid. lib. II. Op. imp. c. 156.
(5) Vid. S. Aug. lib. de Grat. Christ. n. 31. et de Praedest. SS. n. 19.

mino poscebat Propheta (1); *Cor mundum crea in me Deus, et spiritum rectum innova in visceribus meis*, non autem haec a se habere posse praesumebat; et Deo dicimus (2), *Converte nos, Domine ad te, et convertemur*, *et* (3), *Deus tu convertens vivificabis nos* etc., cum homo ad Deum convertatur per consensum voluntatis (4). Non solum ergo ut sit industria studii, utque sint opera caritate ferventia, quae quidem praecedentem consensum et nutum voluntatis supponunt; sed etiam ut sit nutus voluntatis, ille tribuit, ille largitur, qui in nobis agit ipsum motum voluntati nostrae, idest ipsum velle nostrum (5).

§. CLXXIII.

Quid igitur, ajebant olim quidam apud S. Bernardum (6), quid agit liberum arbitrium? Breviter respondeo, ait ipse, et cum eo nos dicimus Salvatur. Opus hoc sine duobus effici non potest: uno a quo fit; altero, cui, vel in quo fit. Nec dare salutem nisi Deus, nec capere valet nisi liberum

---

(1) Psal. L. 12.
(2) Thren. V. 21. Vid. et Jerem. XXXI. 18.
(3) Psa'. LXXXIV. 7.
(4) Vid. S. Aug. de Praedest. SS. 1. 15.
(5) Vid. S. Aug. lib. I. ad Simplician. q. 2. n. 21., de Grat. et lib. arbit. n. 42. 43. Vid. et S. Th. 1. 2. q. 113. a. 3. in c.
(6) Vid. S. Bernard. Tract. de Grat., et lib. arbit. n. 2.

berum arbitrium. Quod ergo a solo Deo, et soli datur libero arbitrio; tam absque consensu esse non potest accipientis, quam absque gratia dantis; et ita gratiae operanti salutem cooperari dicitur liberum arbitrium, dum consentit (1). Sed tamen Deus movet liberum arbitrium ad donum gratiae acceptandum (2); eique infirmo motione sua vires subministrat (3), ut actum suum exserat, idest ut velit, et volendo consentiat, atque ita accipiat, et habeat fidem etc., quae dona (4) habere non potest, nisi consentiendo. Atque hinc est, quod a Domino poscendum est et ut bene velimus, et, cum jam bene volumus, ut ipsa in nobis augeatur voluntas bona, et tantum velimus, quantum sufficit ad implenda mandata (5): ex quo plane intelligimus, quod parvam illam voluntatem non habemus ex nobis, quasi ex nobis; sed ex illo qui praeparat voluntatem, et cooperando perficit, quod operando incipit (6).

§. CLXXIV.

Est ergo Deus adjutor noster per singulos actus bonos: Non solum autem adjutor, quod sufficere existimabat Julianus; verum etiam, quod Pelagianus

(1) Vid. S. Bernard. cit. loc.
(2) Vid. S. Th. 1. 2. q. 113. a. 3. in c.
(3) Vid. S. Aug. lib. de Grat., et lib. arb. n. 32.
(4) Vid. S. Aug. lib. de Spirt. et Lit. n. 60.
(5) Vid. S. Aug. lib. de Grat. de lib. arbit. n. 31. 32. 33.
(6) Vid. S. Aug. cit. n. 33. lib. de Grat. et lib. arbit.

nus ille homo negabat (1), largitor virtutis (2). Adjutor, inquam, quia non sicut in lapidibus insensatis, aut sicut in eis, in quorum natura rationem voluntatemque non condidit, salutem nostram operatur in nobis; adjuvari enim non potest, nisi qui etiam aliquid sponte conatur (3). Largitor autem etiam virtutis, quia et quod vigilanter conamur, et quod ipsum deprecamur ardenter, debemus intelligere nos illius dono habere, cui dicimus (4), *Diligam te, Domine, virtus mea*, ut in omnibus non ad nos respicientes, sed sursum cor habentes, Domino Deo nostro gratias agamus: et cum gloriamur, non in nobis ipsis, quandoquidem (5) nostrum nihil est: quid enim (6) habes, quod non accepisti? sed (7) in ipso Domino gloriemur (8). Hinc est quod Apostolus, qui ad Corinthios dixit (9), *Plus omnibus laboravi*, non solum propter adjuvantem, et cooperantem gratiam, secutus adjunxit: Non *autem ego, sed gratia*

(1) Vid. S. Aug. lib. III. c. duas Ep. Pelag. n. 13
(2) Vid. S. Aug. ibidem.
(3) Vid. S. Aug. lib. II. de Pec. mer. n. 6.
(4) Psal. XVII. 2.
(5) S. Cyprian. lib. III. ad Quirinum c. 4. Vid. S. Augu. lib. IV. c. Julian. n. 25., et de Praedest. SS. n. 7.
(6) I. Cor. IV. 7.
(7) I. Cor. I. 31., et II. Cor. X. 17.
(8) Vid. S. Aug. lib. II. de Pec. mer. n. 33., et S. Th. 2. 2. q. 24. a. 3. ad 1.
(9) I. Cor. XV. 10.

gratia Dei mecum, sed propter donantem, atque operantem gratiam, quae ei, ut laboraret, data fuerat, praemiserat: *Gratia ejus in me vacua non fuit* (1). Et ne putaretur praevenientem illam gratiam nihil aliud fuisse quam moralem aliquam, non physicam excitationem per subministrasionem virtutis, opinationem hujusmodi penitus removit scribens ad Colossenses: ubi cum dixisset se annunciare Jesum Christum, subjunxit (2), *In quo et laboro, certando secundum operationem ejus, quam operatur in me in virtute*: ac de omnibus; qui pie operantur, per fidem scilicet ex caritate, asseruit (3), creatos esse in operibus bonis, quae praeparavit Deus, ut in illis ambulent: ubi dicendo, opera ipsa esse a Deo nobis praeparata, et in iis nos esse creatos; procul dubio significavit, non nos ex nostra virtute efformare nobis cor novum, idest voluntatem bonam; sed, quod sibi poscebat Propheta (4), creari in nobis unde jam bene operemur (5): eosdemque non praecise regi; sed, quod longe majus est, agi dixit li- Spiritu Dei; non quo significaret homines ex (6) bero arbitrio non agere, ut commenti sunt Nova-

(1) Vid. S. Aug. lib. de Gestis Pelag. n. 36. de de Grat. et lib. arbit. n. 12.
(2) Coloss. I. 29.
(3) Ephes. II. 10.
(4) Psal. L 12.
(5) Vid. S. Aug. Enarr. II. in Psal. XVIII. n. 3. et c. 31. Enchirid., et de Grat. et lib. arb. n. 20.
(6) Rom. VIII. 14.

vatores; aguntur enim (1) ut agant, non ut nihil agant; sed agi eos dixit Spiritu Dei, ut sciremus, ipsum liberum arbitrium a Deo, non metaphorice, sed vere, et proprie moveri, ut subministrata sibi divinitus virtute bene velit, et agat (2).

§. CLXXV.

Atque hinc intelligitur, cur non solum valor, et dignitas bonorum operum, quae fiunt a justificatis, oriatur ex gratia sanctificante, per quam Christo conjunguntur ut membra capiti, ut palmites viti, ejusque influxum recipiunt; verum etiam opera ipsa dona Dei sint propter actualem motionem, et subministrationem virtutis Spiritus Sancti non solum inhabitantis, sed et moventis, qua quidem motione, et virtutis subministratione tam indiget ad bene operandum homo etiam plenissime justificatus, quam indiget ad cernendum splendore lucis etiam oculus plenissime sanus (3): licet (4) tanta sit erga homines bonitas Dei, ut eorum velit esse merita quae sunt ipsius dona, adeo ut (5) coronando merita nostra, non coronet nisi dona sua: unde et ipsam coronam justitiae, quam

(1) Vid. S. Aug. in Psal. CXVIII. Serm. 27. n. 4. et lib. de Grat. et lib. arbit. n. 4.

(2) Vid. S. Aug. lib. de Gestis Pelag. n. 5.

(3) Vid. S. Aug. L. de Nat. et Grat. n. 29., et S. Th. 1. 2. q. 109. a. 9. in c.

(4) Vid. Trid. in Decret. de Justi. cap. 16.

(5) Vid. S. Aug. L. de Gest. Pelag. n. 35.

quam reddit Dominus justus Judex (1), tribuens unicuique secundum opera ejus (2), non tribuit nisi (3) in misericordia, et miserationibus; et cum mors ab Apostolo dicatur stipendium peccati (4), vita aeterna appellatur gratia; gratia scilicet (5) pro gratia; quia gratis data est illa, cui datur; non enim inveniret merita, quibus daret coronam justitiae justus judex, nisi eadem merita homini donasset per gratiam misericors Pater (6). In aliis ergo Deus per gratiam aufert voluntatem malam, et pro mala voluntate inspirat bonam, et ex nolentibus facit volentes: in aliis jam existentem dono suo bonam voluntatem auget, incrementum praebendo virtutis, ut jam quod volunt bonum operentur; alios sub pondere cupiditatum jacentes statuit supra pedes suos, et vires eis certandi ministrat, et in certamine jugi subministratione corroborat, et dat eis victoriam. Haec enim omnia operatur in nobis unus atque idem Spiritus dividens singulis, prout vult; qui etiam, ut haec ab ipso petamus, & ut ab eo haec nobis donari sciamus, operatur in nobis.

§. CLXXVI.

(1) I. Tim. IV. 8.
(2) Psal. LXI. 12.
(3) Psal. CII. 4.
(4) Rom. VI. 23.
(5) Joan. I. 16.
(6) Vid. S. Aug. Lib. de Grat. er Lib. Arbit. n. 19., 20., 21. Vid. et Serm. CCXCVII. al. CVII. de diver. n. 6. et Serm. CCCXXXIII. al. XIV. inter Homil. L. n. 5. et Enarr. in Psal. CII. n. 7.

§. CLXXVI.

Hinc pariter intelligitur, cur ipsi etiam Sancti in regnum Dei praedestinati volunt, cum ex via sua mala incipiunt recedere, Deum gratis colere, eoque frui; nec tamen nova illa voluntas idonea semper est ad superandam priorem vetustate roboratam (1): et in ipso profectu justitiae bonum opus suscipere, agere, implere nunc sciunt, nunc nesciunt, nunc delectantur, nunc non delectantur (2): quin etiam volunt quandoque facere Dei mandatum, & non possunt; habentes scilicet voluntatem bonam quidem, sed adhuc parvam, et invalidam (3): imo, et aliquando ipsa oratio nostra sic tepida est, vel potius frigida, et pene nulla, et omnino interdum ita nulla, ut neque hoc in nobis cum dolore advertamus; quia si vel hoc dolemus, jam oramus (4). Nimirum Dominus Deus bonus etiam electis suis alicujus operis justi aliquando non tribuit vel certam scientiam, vel victricem delectationem (5). Nec in eo ipso vult nos esse damnabiles, sed humiles; commendans nobis eamdem gratiam suam; ne facilitatem in omnibus assecuti putemus esse nostrum, quod ejus est; qui error multum est religioni, pietatique contrarius (6): sed potius cognoscamus, non no-

(1) Vid. S. Aug. Lib. VIII. Confess. n. 10.
(2) Vid. S. Aug. Lib. II. de Pec. mer. n. 27.
(3) Vid. S. Aug. Lib. de Grat. et Lib. Arbit. n. 33.
(4) Vid. S. Aug. L. I. ad Simplic. q. 2. n. 21.
(5) Vid. S. Aug. L. II. de Pec. mer. n. 22.
(6) Vid. ib. n. 33.

no strae facultatis esse quod scimus, et quod delectamur; imo vero a Deo nobis esse lucem, qua illuminentur tenebrae nostrae, et suavitatem, qua terra nostra det fructum suum (1).

§. CLXXVII.

Non enim aut omnis vocatio effectrix est bonae voluntatis (2); aut omnis bona voluntas tanta est, ut cum ea adjacet, homo inveniat etiam bonum perficere (3); aut non major requiritur caritas, ut animam suam ponat quis pro amicis suis, quam ut pauperi eroget eleemosynam (4); aut putaverit quis aequali motione inclinari potuisse ad credendum virum simplicem, ac sine dolo, qualis erat Nathanael (5), ac Saulum spirantem minarum, et caedis in discipulos Domini (6). Nam et medicina, quae morbum recentem dispellit, contumacem experitur inveteratum; et quae leviori medetur; graviorem non tollit. Id porro non vitium medicinae est, sed aegroti.

§. CLXXVIII.

Interiori igitur gratiae in hoc statu naturae lapsae, quandoque (atque utinam non saepe!) resistitur; ut merito proinde Innocentius X. (7), oppo-

(1) Vid. ib. cit. n. 27. et 32.
(2) Vid. S. Aug. L. I. ad Simplic. q. 2. n. 13.
(3) Rom. VII, 18.
(4) Joan. XV. 13.
(5) Joan. I. 47.
(6) Act. IX. 1.
(7) Bulla *Cum occasione impressionis* Ann. 1653. 31. Maji.

oppositam doctrinam gravi censura confinxerit, tanquam haereticam. Resistitur autem vitio voluntatis, quae idcirco justissime in scripturis sanctis redarguitur, quod, Deo per gratiam vocante, ipsa renuerit; eoque manus extendente, ipsa contradixerit. Nam, et in illis ipsis cunctationis aestibus multa homo facit tenuissima animae voluntate, ubi scilicet nihil, vel fere nihil concupiscentialiter resistit volenti; velut si capillum vellat, si frontem percutiat; si consertis digitis amplexetur genu: quanto magis proinde faceret, quod incomparabili affectu amplius ei placet prae illis, quae tenuissima illa voluntate facit (1)? Sed facit illa, quia voluntas, quae eadem imperat corpori, voluntas est plena, integra, tota; at Deo ad bonum movente hominem vitiorum mole jacentem, voluntas hominis quasi in duas discerpitur: non enim plene vult, aut plene non vult: sed partim vult, partim non vult; fitque aegritudine animi, quod non totus assurgat veritate sublevatus, consuetudine praegravatus (2): quae quidem aegritudo prava ipsius hominis voluntate inducta est; unde ipsi merito imputatur et aegritudo ipsa, et quod ipsius violentia gratiae divinae resistat, quae utique de se esset sufficiens (3) ad opus, ad quod hominem excitat, absque uberior

(1) Vid. S. Aug. L. VIII. Confes. n. 20.
(2) Vid. ibid. n. 21.
(3) Vid. Laurent. Berti in Augustinian. syst. vindic. Dissert. IV. cap. 1. §. V. n. 5., et §. X. n. 1. 2., 4, 7.

alio auxilio excitante; quippe quae operi eidem proportionetur, etsi non proportionetur homini cui datur, non ratione sui, sed ratione pravi cupiditatis consuetudine roboratae, qua fit, ut (1) plus valeat in homine illo deterius inolitum, quam melius insolitum.

§. CLXXIX.

Neque vero metuendum est, ne voluntate cujuspiam creaturae voluntatis omnipotentis impediatur effectus (2). Cum enim homini nova illa voluntas divinitus inspiratur, quam S. Augustinus parvam, et invalidam appellat (3), efficit per illam Deus in homine aliquid, id scilicet, quod ipse Deus homini vult (4); non enim intentio Dei deficere potest (5); sed imo, quoniam voluntas Dei est caussa rerum (6), auxilium Dei moventis habet necessitatem ad id, ad quod ordinatur, non quidem coactionis, sed infallibilitatis (7) Quare dicendum est, quod Deus parvam illam voluntatem bonam homini inspirando non aliud vult, quam movere hominem ad bonum imperfectum (8). Revera in eo homine jam incipit spiritus concupi-

---

(1) Vid. S. Aug. cit. L. VII. Confes. n. 25.

(2) Vid. S. Aug. Enchirid. cap. 96. et Lib. I. Op. imp. c. 93.

(3) Lib. de Grat. et Lib. Arbit. n. 33.

(4) Vid. S. Th. Verit. q. 24. a. 1. in c.

(5) Vid. S. Th. 1. 2. q. 112. a. 3. in c.

(6) Vid. S. Th. 1. p. q. 19. a. 4. per tot.

(7) Vid. S. Th. 1. 2. q. 112. a. 3. in c.

(8) Vid. S. Th. ibid. a. 2. ad 2.

piscere adversus carnem, qui prius desideria carnis praecipiti quodam impetu perficiebat, et qui paullo ante sua vincula diligebat, jam suspirat sentiens se ligatum difficultate vitiorum (1): atque ex hoc ipso patet, gratiam hanc parvam, et in se, atque in suo genere, licet non comparata ad statum operantis, sufficientem nedum non esse noxiam, et perniciosam ei cui datur, sed imo utilem, et ex divina erga homines benevolentia procedentem: quamvis resistente vinculo carnalis consuetudinis, nisi hoc uberiori adveniente gratia et validiori motione disrumpatur, cogitationes, quibus homo jam meditatur in Deum ire, similes sint (2) conatibus expergisci volentium, qui superati soporis altitudine remerguntur; neque sequatur perfecta hominis conversio, ad quam voluntas illa divinitus inspirata ex se ipsa ordinatur et quam efficeret in homine, nisi robustior esset antiqua prava voluntas.

§. CLXXX.

Deo autem hominem convertere, statuere, salvare volenti illa voluntate de qua dictum est (3) *Omnia quaecumque voluit Dominus fecit in coelo, et in terra*, nullum hominum resistit arbitrium (4) Vocat quippe ea vocatione, quae a nullo duro corde respuitur; ideo quippe tribuitur, ut cordis du-

(1) Vid. S. Aug. VIII. Confess. n. 10.
(2) Vid. S. Aug. cit. lib. VIII. Confess. n. 12.
(3) Psal. CXXXIV. 6.
(4) Vid. S. Aug. L. I. Op. imp. c. 93.

duritia primitus auferatur (1): de qua vocatione dicit Salvator (2). *Omnis qui audivit a Patre, et didicit, venit ad me*; quo loco non ait, Potest venire; sed, Venit; ubi jam et possibilitatis profectus, et voluntatis affectus, et actionis effectus est (3). Non quod liberum hominis arbitrium a Deo motum, et excitatum non possit dissentire, si velit, ut impie commenti sunt Novatores, merito idcirco a Sacrosancta Synodo Tridentina damnati (4); sed quia Deus, qui habet inclinandorum cordium omnipotentissimam potestatem (5), et magis habet in potestate sua voluntates hominum, quam ipsi nostras (6), agit miris, et occultis modis ad inclinandas hominum voluntates, non ut homines, quod fieri non potest, nolentes consentiant, sed ut volentes ex nolentibus fiant (7).

§. CLXXXI.

Id Deum praestare, quia hoc aut illo tempore, aut loco hominem vocat, censent Congruismi propugnatores, a circumstantiis, sub quibus gratia confertur, omnem illius vim, et certitudinem repetentes: quod si esset, congrua profecto fuisset gratia primo homini, cui nihil concupiscentialiter

(1) Vid. S. Aug. Lib. de Praedest. SS. n. 13.
(2) Joan. VI. 45.
(3) Vid. S. Aug. L. de Grat. Christ. n. 15.
(4) Trident. Sess. VI. Can. 4.
(5) Vid. S. Aug. L. de Corrept. et Grat. n. 45.
(6) Vid. S. Aug. ibid.
(7) Vid. S. Aug. L. I. c. duas Epist. Pelag. n. 37., et de Grat. et Lib. Arbit. n. 43.

liter resistebat, in illo felicitatis loco collata; nec enim circumstantiae magis congruae possunt excogitari. Sed absit, ut dicamus omnipotenti deesse modum, quo quos vult, quando vult, quo modo vult faciat sibi consentientes. Congrua est quidem vocatio, cui vocatus obtemperat: at congruitatem omnem non natura facit, sed gratia. Ipsa (1) suum consumat opus, cui tempus agendi semper adest, quae gesta velit; nec moribus illi fit mora, nec caussis anceps suspenditur ullis. Congrua est enim vocatio; si Deus hominem vocat, quomodo scit ei, qui vocatur, congruere, ut vocantem non respuat (2). Quis autem animo amplectitur, quod eum non delectet? Non est autem consequens, ut cum occurrerint, quae delectare possunt, (quod tamen neque in nostra est potestate), etiam delectent. Tunc ergo est congrua gratia, non si praecise constituamur a Deo in iis circumstantiis, in quibus occurrant, quae delectare possunt; sed si cum occurrerint delectent: ut autem delectent non est in nostra potestate; sed inspiratur hoc, et praebetur gratia Dei, non nutu nostrae voluntatis, ut scite observat S. Augustinus scribens ad S. Simplicianum (3): quem proinde si attentius legissent Congruistae, nunquam putassent systema suum a S. Doctore eo in libro et re, et nomine traditum fuisse.

§. CLXXXII.

---

(1) Vid. S. Prosp. in Carmine de Ingratis.
(2) Vid. S. Aug. L. I. ad Simplic. q. 2. n. 13.
(3) Vid. S. Aug. L. I. ad Simpl. q. 2. n. 21.

§. CLXXXII.

Quomodo igitur faciat Deus ex nolentibus volentes, non aliunde meliùs potest intelligi, quam advertendo ad ea, quae impediunt voluntatem, ne quod bonum est amplectatur, vel ab opere malo abstineat. Ea autem sunt duo haec vitia; Ignorantia, et Infirmitas; nolunt enim homines facere quod bonum est, vel quia latet, vel quia non delectat (1): ut autem innotescat quod latebat, et suave fiat, quod non delectabat, gratiae Dei est, quae hominum adjuvat voluntates (2). Porro non satis est velle, nisi tantum velimus, quantum justitiae faciendae sufficiat, ut scilicet quidquid aliud voluptatis, dolorisve impedit, superemus (3). Tanto autem quidpiam vehementius volumus, quanto certius quod bonum est novimus, eoque delectamur ardentius (4). Recte igitur adjutorium efficacis gratiae appellatur a S. Thoma, Lumen divinitus immissum dirigens intellectum, et affectum movens impetu amoris (5), atque a S. Augustino, Inspiratio luminosissimae, et flagrantissimae caritatis (6), qua tribuitur certa scien-

(1) Vid. S. Aug. L. II. de Pec. mer. n. 26. et de Perfect. Just. n. 1., et Enchirid. c. 80.
(2) Vid. S. Aug. cit. n. 26. L. II. de Pec. mer.
(3) Vid. S. Aug. L. de Spir. et Litt. n. 63.
(4) Vid. S. August. cit. n. 26. L. II. de Pec. mer.
(5) Vid. S. Th. in IV. d. 18. q. 2. a. 2., q. 1. ad 1., et in Psal. XLV. ad vers. 5. et 1. 2. q. 79. ar. 3. in c.
(6) Vid. S. Aug. L. de Grat. Christ. n. 38.

scientia, et victrix delectatio (1): victrix, inquam, liberat enim delectationem voluntatis a consensione cupiditatis (2); quod quidem fit, dum inspirata gratiae suavitas facit plus delectare quod praecipitur, quam delectet quod impedit (3). Quibus Angelici, et S. Augustini definitionibus, quae in idem recidunt, ipsa actualis gratia efficax adaequate exponitur, et prout scilicet se tenet ex parte intellectus, quem interius superno lumine Deus illuminat, visorum suasionibus (4) in eo agens ut et credamus, et velimus; et prout se tenet ex parte voluntatis, quod in ipso gratiae adjutorio potissimum spectari oportere, imo esse proprie ipsum adjutorium voluntatis, et actionis observavimus (5): quam voluntatem Deus agit, et movet per gratiam, ut legi, atque doctrinae accommodet consensum (6), et cui praebet vires efficacissimas (7), ut voluntatem carnis contraria concupiscentem ardore spiritus vincat (8), et quod fa-

---

(1) Vid. S. Aug. L. II. de Pec. mer. n. 32.
(2) Vid. S. Augurs. L. I. c. duas Epist. Pelag. n. 18.
(3) Vid. S. Aug. L. de Spir. et Litt. n. 51.
(4) Vid. S. Aug. L de Spir. et Litt. n. 60.
(5) Vid. sup. §§. CXLV., CLXVI., CLXX. Vid. et S. Aug. Lib. de Spir., et Litt. n. 63., et L. de Grat. Christ. n. 36.
(6) Vid. S. Aug. Epist. CCXVII. al. CVII. ad Vitalem n. 5.
(7) Vid. S. Aug. L. de Grat., et Lib. Arb. n. 32.
(8) Vid. S. Aug. L. de Corrept. et Grat. n. 31.

faciendum didicit, etiam volendo appetat, agendoque perficiat (1).

§. CLXXXIII.

Ita per Mediatorem, et Salvatorem hominum Jesum, qui est (2) Dei virtus, et Dei sapientia, medicina parata est infirmitati humanae naturae, quae facta per Adam, ad omnes ejus posteros cum reatu peccati transmittitur, quaeque etiam in renatis, soluto reatu, ad agonem hic manet, ut, quomodo scriptum est (3), in ipsa infirmitate virtus hic perficiatur, eademque interim sanetur infirmitas, ut tota penitus absumatur in patria (4). Subventum est enim infirmitati mentis humanae, cujus cogitationes (5) propter ignorantiae vitium timidae, et incertae providentiae (6) ut per donum scientiae revelatis ejus oculis, et coelesti lumine desuper a Patre luminem infuso, quod agere debet cognoscendo videat. Subventum est et infirmitati voluntatis humanae, ut divina gratia indeclinabiliter, et insuperabiliter ageretur: et ideo quamvis infirma, non tamen deficeret, neque adversitate aliqua vinceretur; sed invictissime

(1) Vid. S. Aug. L. de Grat. Christ. n. 15.
(2) I. Cor. I. 24.
(3) I. Cor. XII. 9.
(4) Vid. S. Aug. L. III. c. duas Epist. Pelag. n. 18. Vid. et Serm. CCLXXVIII. al. XXXIV. de diversis n. 3., et 5.
(5) Sapient. IX. 14.
(6) Vid. S. Th. 1. 2. q. 109. a 9. in c.

sime quod bonum est vellet, et hoc deserere invictissime nollet (1).

§. CLXXXIV.

Neque vero hinc liberum hominis arbitrium auferri, aut sub gratiae vocabulo fatalem induci necessitatem putandum est. Fuit haec putida calumnia Pelagianorum, et Semipelagianorum (2); et est impius error Novatorum in Tridentina Synodo damnatus (3). Non enim tollitur liberum arbitrium, quia mirabili, et efficacissima vocatione trahimur ab omnipotente: nam non obligatione trahimur, sed delectatione; nec necessitate, sed voluptate (4): unde, observante Angelico (5), efficaciam gratiae suae citra ullam laesionem liberi arbitrii nostri commendans Dominus per Prophetam (6). *In funiculis Adam*, inquit, *traham eos*, *in vinculis caritatis*. Non tollitur liberum arbitrium, quia tantum praestet voluntatibus nostris gratia Salvatoris, ut non dubitet Apostolus dicere (7). *Quotquot Spiritu Dei aguntur*, *hi sunt filii Dei*, agendo quippe nos Spiritus Dei caussat in

(1) Vid. S. Aug. L. de Correp. et Grat. n. 38.
(2) Vid. S. Aug. L. de Gestis Pelag. n. 42. Lib. II. c. duas Epist. Pelag. n. 10. et Epist. Prosper. ad Augustin. inter Augustinian. CCXXV. n. 8., et Hilarii ad eumdem inter Augustinianas CCXXVI. n. 6.
(3) Sess. VI. can. 4.
(4) Vid. S. Aug. Tract. XXVI. in Joan. n. 4.
(5) Vid. S. Th. Lect. V. in c. VI. Jo. ad vers. 44.
(6) Oseae XI. 4.
(7) Rom. VIII. 14.

in nobis ipsum motum voluntatis, et liberi arbitrii; propter quod dictum est (1) . *Deus est qui operatur in vobis et velle* (2) ; et quidem caussat secundum modum nostrum, qui est ut libere agamus (3) : alias, quod olim adversus obtendentes tolli liberum arbitrium ex certitudine Divinae praescientiae urgebat S. Augustinus (4), non voluntas ageretur a Deo, sed aliquid aliud a voluntate, quae libera est, penitus diversum; neque rursus (5) voluntas esset quae ageretur a Deo, si non ageretur ut ageret; et (6) deficeret intentio Dei moventis, qui ad hoc auxilium dat, ut non solum fiat, quod Deus vult, sed ut hoc modo fiat, quo illud fieri vult (7); nec esset Deus homini adjutor ; quia (8) non adjuvatur, nisi qui etiam aliquid sponte conatur . Atque ut paucis omnia complectamur : non tollitur liberum arbitrium, quia juvatur, sed ideo juvatur, quia non tollitur (9), et cum potestas datur, non neces-

(1) Philip. II. 13.
(2) Vid. S. Th. Lect. III. in c. VIII. Epist. ad Roman. ad vers. 14.
(3) Vid. S. Th. in III. c. Gentes c. 148. , et 1. p. q. 19. a. 8. in c.
(4) Vid. S. Aug. Lib. III. de Lib. Arbit. n. 8. et Lib. V. de C. D. c. 9. n. 3., 4.
(5) Vid. S. Aug. in Psal. CXVIII. Serm. XXVII. n. 4., et de Grat. et Lib. Arbir. n. 4.
(6) Vid. S. Th. cit. cap. 148. Lib. III. c. Gentes.
(7) Vid. S. Th. Opusc. II. c. 140.
(8) Vid. S. Aug Lib. II. de Pec. mer. n. 6.
(9) Vid. S. Aug. Epist. CLVII. al. LXXXIX. ad Hilarium n. 10.

cessitas utique imponitur (1). Potestas autem plane datur, et juvatur voluntas per subministrationem virium efficacissimarum ad volendum, et perficiendum bonum. Tantum quippe Spiritu Sancto accenditur voluntas hominum; ut ideo possint, quia sic volunt; ideo sic velint, quia Deus in eis operatur ut velint (2). Quod si Deus subministratione virtutis non operaretur in homine, ut bonum vellet, inter tot, et tantas tentationes infirmitate sua voluntas ipsa succumberet; et ideo bonum agere non possent homines, quia deficientes infirmitate nec vellent; aut non ita vellent infirmitate voluntatis, ut possent (3). Hinc est quod Ecclesia Catholica veritatis magistra et Pelagianos damnavit, qui nolebant confiteri gratiam operantem in nobis motum voluntatis nostrae, quae gratia a nullo duro corde respuatur (4); et per Coelestinum I. corripiendos decrevit eos, qui ob assertam a S. Augustino efficacissimam divinae gratiae virtutem, eidem obloquebantur tanquam eversori dogmatis liberi arbitrii, vetuitque ne liberum iis esset

(1) Vid. S. Aug. L. de Spir., et Litt. n. 54.

(2) Vid. S. Aug. L. de Correp. et Grat. n. 38.

(3) Vid. ibid.

(4) Vid. S. Aug. L. de Grat. Christ. n. 11. et Serm. CXXXI. al. II. de Verb. Apost. n. 10., Vid. et Synodicas Conciliorum Carthaginensis, et Milevitani, et Rescripta ad easdem Synodos Innocentii I., quae sunt Epist. inter Augustinian. CLXXV.al.XC., CLXXVI. al. XCII., CLXXXI. al. XCI., CLXXXII. al. XCIII. et Epist. Coelestin. I. ad Episcopos Galliarum, et Epist. I. Gelasii I. ad Honorium.

set pro voluntate habere sermonem (1); et Deum orat, ut nostras etiam rebelles ad se propitius compellat venire voluntates (2); et eos damnat, qui dogmatizant liberum arbitrium esse titulum sine re (3), se habere tanquam instrumentum inanime (4), neque posse dissentire excitationi, et motioni Divinae, si velit (5). Usque adeo verum est, quod opitulationes Divinae gratiae non liberum destruunt arbitrium, sed imo stabilimenta sunt voluntatis humanae (6).

§. CLXXXV.

Jam si in hac quaestione, ubi de arbitrio voluntatis, et gratia Dei disputatur, quae (7) ita est ad discernendum difficilis, ut quando defenditur liberum arbitrium, negari Dei gratia videatur; quando autem asseritur Dèi gratia, liberum arbitrium putetur auferri; ad illam profunditatem incidentium quaestionum quisquam nos coarctet, de potentia in actu primo et in actu secundo, proxima et remota, etc., quas latius pertractarunt Scholastici, sive ut placita sua defenderent, sive ut aliena

(1) Vid. cit. Epist. Coelestin. I. ad Episc. Galliar. cap. 1., 2., et 3.

(2) Vid. Orat. secret. in Miss. Sabbati post Dominicam IV. Quadragesimae, et Dominicae IV. post Pentecost.

(3) Vid. Concil. Trid. Sess. VI. can. 5.

(4) Vid. ibid. can. 4.

(5) Vid. eod. can. 4.

(6) Vid. S. Prosper. L. c. Collator. n. 54.

(7) Vid. S. Aug. Lib. de Grat. Christ. n. 52.

sa refellerent, sive etiam ut catholicam veritatem adversus novatorum sophismata tuerentur : quamquam eas non necesse habemus adstruere (1); cum ad confitendam gratiam Dei, cujus operi, ac dignationi nihil penitus subtrahendum est, salva manente arbitrii libertate, satis sufficere arbitremur, quae ex SS. Augustino, et Thoma hactenus expressimus, quorum hac potissimum in re dogmata tutissima, et inconcussa esse, eademque quae Romana, hoc est Catholica sequitur, et asseverat Ecclesia, Apostolicae Sedis nos scripta docuerunt (2): tamen quia (3), nec audemus contemnere, nec vero debemus; breviter quid de iis sentiamus exponimus. Itaque potestatem, aut potentiam proximam,

(1) Vid. Epist. Coelest. I. ad Episc. Galliar. c. 13.

(2) Vid. Innocent. I. Epist. ad Augustin. inter Augustinian. CLXXXIII. al. XCVI. n. 1. et 5., Coelest. I. Epist. ad Episc. Galliar. c. 2., et 3. Gelas. I. Epist. ad Episc. Provinciae Picenae n. 8., Hormisd. in Epist. ad Possessorem, et laudatur in Synodica PP. Africanorum in Sardinia exulum cap. 16., Bonifac. II. in Epist. ad Caesarium Arelaten. qua confirmantur canones Synodi Arausicanae II. ipsis S. Augustini verbis descripti, Joan. II. Epist. III ad Avienum, aliosque Senatores, Vid. et Brev. Alexandri VII. ad Lovanien., et Benedicti XIII., ac Clementis XII. ad FF. Praedicatores sup. cit. §. CLXI. Quibus addendum Breve Clementis XIII. *Ecclesiae Catholicae* die 8. Jul. 1760. confirmatorium Decreti Capit. Gener. Congregat. Monach. Vallisumbrosae de propugnanda doctrina Gratiae per se efficacis c. Molinistas.

(3) Vid. cit. c. 13. Epist. Coelest. I. ad Episc. Galliar.

et expeditam eam dicimus, quae complectitur omnia ad agendum simpliciter necessaria. Ergo potentia proxima, et expedita ad bene volendum, et agendum bonum plura complectitur; I. nempe ipsam internam facultatem naturalem liberi arbitrii eligendi ex pluribus, quod maxime placet: II. aliquam fidem in Deum saltem initialem, sive ad orandum, nam quomodo invocabunt eum, in quem non crediderunt? sive ad referendum in ipsum Deum relatione vel actuali, vel virtuali, opus, quod faciendum est, ut sit undequaque bonum; III. actualem gratiam effectricem voluntatis bonae, ut liberum arbitrium velit bonum, IV. ipsius bonae voluntatis magnitudinem, et firmitatem, qua vincat obstacula, et superet difficultatem operis boni faciendi, atque ita illud agat: quod quidem a Deo aliquando statim tribuitur: aliquando vero sic tribuitur, ut prius moveat hominem efficaciter ad orandum sicut oportet; deinde vero donet illud uberius auxilium, ad quod petendum dederat non solum bonam voluntatem, sed et spiritum precum. Hinc vero intelligitur I. internam facultatem volendi, aut nolendi, et eligendi unum prae alio, praesupponi ad gratiam, et esse ex natura: II. ad complendam potentiam proximam, et expeditam sensu exposito, minus deesse homini fideli, quam infideli; quia huic debet primitus aliqua fides inspirari; non autem fideli, qui eam jam habet: III. adhuc minus ad agendum opus bonum deesse illi, cui jam inspirata est bona voluntas, parva licet et invalida, quam ei, qui est voluntatis malae: IV.

minus

minus itidem deesse homini justo, non solum quia si justus est voluntas ejus mala non est; sed etiam quia ab ipsa habituali gratia, et caritate habet voluntas inclinationem, secundum quam promptius, et facilius a Deo movetur ad bonum (1): V. minus adhuc deesse illi, qui praeter voluntatem bonam, licet parvam, et invalidam, habet gratiam efficacem orandi, ut quod ei deest, accipiat. VI. Eum dumtaxat habere potestatem, seu potentiam proximam, et expeditam, cui nihil desit eorum, quae sunt simpliciter necessaria, qui non solum vult bonum, sed tantam habet ejus voluntatem, quanta requiritur, ut omnibus superatis obstaculis, devictaque ex toto difficultate, bonum, quod agendum esse novit, cum dilectione faciat. Quod si praeterea exornatus fuerit gratia sanctificante, bene volendo, et operando bonum, merebitur; quin ei aliquid aliud addi necesse sit. Ex his principiis implexae illae quaestiones facile solvuntur.

§. CLXXXVI.

Atque hinc intelligitur, citra ullum praejudicium Catholici dogmatis de arbitrii libertate in homine etiam lapso superstite rectissime dictum ab Innocentio I. (2), Deum praestare remedia, quibus nisi freti, confisique nitamur, nullatenus vincere humanos poterimus errores; necesse est enim, ut

(1) Vid. S. Th. 1. 2. q. 110. a. 2. in c.

(2) Vid. Epist. Innocentii I. ad Patres Synodi Carthaginen. inter Augustinianas CLXXXI. al. XCI. n.7. et laudatur a Coelestino I. in Epist. ad Episc. Galliar. cap. 6.

quo auxiliante vincimus, eo iterum non auxiliante vincamur: et a S. Augustino (1), Non potuisti in te, nisi perdere te; ac rursus (2), Praeponere spiritalia carnalibus, incommutabilia mutabilibus tanto magis minusve posse hominem, quanto magis minusve adjuvatur gratia Dei: ac rursus, cum ad Paulinum scriberet, affirmatum, constare ex relationibus Africanorum Conciliorum ad Innocentium I., hujusque Pontificis Rescriptis ad easdem Synodos datis, Eum cum Pelagio contra fidem catholicam sentire, qui non confitetur sic Dei gratiam esse nobis necessariam per singulos actus, ut nisi Deus per eam nos adjuvet, nihil pietatis, atque justitiae sive in opere, sive etiam in ipsa voluntate habere possimus (3): et rursus (4), Oportere, ut qui gratiam Dei vult veraciter confiteri, sic confiteatur, ut omnino nihil boni, sine illa, quod ad pietatem pertinet, veramque justitiam, fieri posse non dubitet: Non tantum ut arbor sit bona, sed etiam ut faciat fructus bonos, eadem gratia necessarium esse, ut homo adjuvetur, sine qua nihil boni fieri potest (5): Errare autem Pelagium, quod etiam sine illa, etsi minus facile, fieri tamen, quod divinitus praecipitur, posse sentiebat (6): Errare Julianum cum suis, quod sine gra-

(1) Serm. XIII. al. XCIV. de Temp. n. 3.
(2) Ep. XCV. al. CCL. ad Paulin., et Theras. 1. 6.
(3) Epist. CLXXXVI. al. CVI. ad Paulinum n. 2., et 3.
(4) Lib. de Grat. Christ. n. 27.
(5) Ibid. n. 20.
(6) Ibid. cit. n. 27.

gratia putarent hominem habere posse boni, sed imperfecti cupiditatem (1): Sic aperte repugnare catholicae fidei regulae, si dicatur, hominem sine gratia Dei posse vitare peccatum, et mandata Dei custodire, ut Pelagius ad damnationem, quam sibi imminere praesentiebat, declinandam, admisso in speciem gratiae vocabulo, quid sentiret absconderit (2): Non esse mirandum, si homo vel ignorando non habeat liberum arbitrium voluntatis ad eligendum quid recte faciat; vel resistente carnali consuetudine videat quid recte faciendum sit, et velit, nec possit implere (3): Liberum arbitrium captivatum nonnisi ad peccandum valere; ad justitiam vero, nisi divinitus liberatum, adjutumque, non valere (4). Nempe hisce, ac similibus locutionibus non designatur illa facultas volendi, et non volendi, aut volendi hoc, vel illud, quam in ipso libero habemus arbitrio; sed designatur potentia proxima, et expedita, atque instructa omnibus, quae sunt simpliciter necessaria, et ultra quae aliud non requiritur, ut exeat in actum. Commendatur itaque Gratiae necessitas, non liberum denegatur arbitrium. Etenim ad non peccandum quamvis esse non dubitetur arbitrium voluntatis, tamen ejus potestas non sufficit, nisi adju-

(1) L. II. c. duas Epist. Pelag. n. 17., et 18.

(2) Vid. Lib. de Gestis Pelag. n. 20., et L. de Grat. Christ. n. 32. et seq.

(3) Lib. de Nat. et Grat. n. 81., et L. III. de lib. arbit. n. 52.

(4) L. III. c. duas Epist. Pelag. n. 24.

vetur infirmitas (1): sufficit quippe ad malum; ad bonum autem non sufficit, nisi adjuvetur ab omnipotenti bono (2): et desertum divino adjutorio qualibet scientia legis excellat, nullo modo habebit justitiae soliditatem, sed inflationem impiae superbiae, et exitiosum tumorem (3). Quamquam enim ante hominem sit vita et mors, bonum et malum, et quod placuerit ei detur illi (4); hoc tamen quod bonum velit, habet ex auxilio gratiae (5): et sic habet dominium sui actus, ut oporteat praesupponi aliquod auxilium gratuitum Dei interius animam moventis, sive inspirantis bonum propositum (6): et sic est in potestate liberi arbitrii facere bonum, et declinare a malo; ut sit in potestate hominis secundum quod est motus a Deo, secundum illud, quod ait Christus (7), *Sine me nihil potestis facere* (8). Non enim ad liberi arbitrii rationem, aut essentiam pertinet illud ae-

qui-

---

(1) Vid. S. Aug. Epist. CLXXVII. al. XCV. ad Innocent. I. n. 4.

(2) Vid. S. Aug. Serm. de Cantico novo n. 8. L. II. c. duas Epist. Pelag. n. 9., et L. de Corrept. et de Grat. n. 31.

(3) Vid. S. Aug. Epist. CLVII. al. LXXXIX. ad Hilarium n. 5.

(4) Ecclesiastic. XV. 18.

(5) S. Thom. 1. 2. q. 109. a. 8. ad 3.

(6) Vid. ibid. a. 6. in c.

(7) Joan. XV. 5.

(8) Vid. S. Th. cit. q. 109. 1. 2. a. 6. ad 2. Vid. et sup. §. CLXXI.

quilibrium virium voluntatis ad bonum, et ad malum, quod ad evertendam Gratiae necessitatem, contra intimam cujusque hominis ratione jam utentis conscientiam, confixerunt Pelagiani (1); sed agnoscendus est status infirmitatis, in quem per peccatum prolapsi sumus (2).

§. CLXXXVII.

Per adjutorium itaque Gratiae medicinalis non evacuatur liberum arbitrium; sed agitur, ut sanetur: eique, propter aegritudinem ne audienti quidem concupiscere spiritu adversus carnem, robur additur, ut adversus cupiditates jam certet; et certanti, ne in ipsa pugna deficiat, vires, quantas ipsum habere competit, subministrantur; vincula, quibus tenebatur, pravae consuetudinis, aut violentae cupidinis, disrumpuntur; et, dante Deo ipsam etiam victoriam, potestatem accipit, ut in libertatem respiret filiorum Dei (3).

§. CLXXXVIII.

At sanandi ordinem non ab aegroto accipit coelestis medicus, sed a se ipso (4). Quandoque magna, et efficacissima vocatione aversas, et adversas ad se momento convertit voluntates, sicut convertit Saulum, cum spirans minarum, et caedis

(1) Vid. Verba Pelagii apud S. Aug. Lib. de Grat. Christ. n. 19., et verba Juliani apud ipsum S. Aug. Lib. I. Op. imp. c. 78., et Lib. III. c. 110. Vid. sup. § CXLII.

(2) Vid. sup. §. CXLIV.

(3) Vid. S. Aug. lib. VI. Op. imp. c. 15.

(4) Vid. S. Aug. lib. de Nat. et Gr. n. 31.

in Discipulos Domini, prava voluntate saeviebat (1); et una voce de lapidibus suscitat filios Abraham, ut quando Matthaeum, et Zachaeum vocavit, atque uno interiori obtutu, usque ad lacrymas exteriores movit Petrum, effecitque credentem in se latronem, cum hic eum non praestantiorem in operibus videret, sed consortio crucis aequalem (2). Aliquando vero tardius sanat, et quasi circuitu utitur. Non semel per gratiam externae protectionis impedit, ne labatur homo in peccatum, ne fraenum pudoris abiiciat, ne pravae consuetudinis vinculo praegravetur, ne fiat ipso peccato, peccandique usu cupiditas vitiosa robustior. Nam si ad crimen patrandum defuit suasor, si defuit locus, et tempus; haec itidem beneficio divinae Providentiae deputanda sunt (3). Quandoque sinit non solum illicitis delectationibus inhiare animum, sed et in iis etiam sensus exteriores volutari; interim vero amarissimis offensionibus aspergit perversas hominis jucunditates, ut ita quaerat, ubi possit sine offensione jucundari (4); quod tunc demum sciet, quando aperiet ei Deus oculos cordis, ut intelligat, quoniam praeter ipsum Deum, omnia vanitas, et afflictio spiritus. Quandoque concutit animam aeterni timore supplicii, atque ita ab homine removet timorem mundanum, quo in-

(1) Vid. S. Aug. L. de Grat. et lib. arb. n.12. et S. Th. 1. 2. q. 112. a. 2. ad 2.
(2) Vid. S. Aug. lib. I. ad Simplic. q. 2. n. 14.
(3) Vid. S. Aug. Serm. XCIX. al. XXIII. ex Hom. L. n. 6.
(4) Vid. S. Aug. lib. II. Confess. n. 4.

incitabatur ad culpam, vel retrahebatur a bono; et etiam volentem peccare animum interiorem non sinit; quo fit ut sensim minuatur consuetudo perversa, et efformetur paullatim consuetudo justitiae saltem exterioris, quae deinde accedente inspiratione dilectionis fiat vera virtus, et vera justitia (1). Efficit aliquando, ut vel obiiciantur oculis, vel sive legendo, sive audiendo innotescant praeclara illustrium virorum exempla, qui Domino fideliter deservierunt; interim vero intus adest Deus, qui hominem vitiis deditum suaeque salutis oblitum retorquet ad se ipsum, ut videat quam turpis sit (2); et pudeat non sero saltem sequi eos, qui viam mandatorum alacriter cucurrerunt (3). Movet interdum hominem ad bonum, sed imperfectum (4), tribuens voluntatem bonam quidem, sed adhuc parvam, qua vult quidem bonum facere, sed adhuc vinculo cupiditatis a bono retrahitur; ne autem ad malum defluat, et revalescat ipsum vinculum, et fortius alliget hominem, instat Deus interius ingeminans flagella timoris, et pudoris (5); donec infusa securitatis luce, totum illud vinculum penitus abrumpatur (6), et mens per dilectionem justitiae in Deo jucundetur: qua ratione conversum fuisse Augustinum, Ipso in suis Confessionibus narrante, didicimus.

§. CLXXXIX.

(1) Vid. sup. §. CLIV.
(2) Vid. S. Aug. Lib. VIII. Confess. n. 16.
(3) Ibid. n. 19.
(4) Vid. S. Th. 1. 2. q. 112. a. 2. ad 2.
(5) Vid. S. Aug. lib. VIII. Confess. n. 25.
(6) Ibid. n. 29.

§. CLXXXIX.

Quando ergo hisce modis Deus agit in animam, ut eam ad se convertat, alia sunt, quibus praeparatur voluntas; alia vero, quibus voluntas praeparata adjuvatur: et quidem magis, vel minus; prout judicat ille, qui spirat ubi vult, et dona sua in ea mensura, quibuscumque largitur, impertit, quam ipse vult. Quod igitur inquiunt nonnulli Theologi, quos inter eminet Ludovicus Thomassinus (1), ex horum auxiliorum, quae conspirantia vocant varietate, multiplicitate, complexione desumendam esse actualis gratiae efficaciam; rectissime dicitur; sed non in illorum Theologorum sententia. Verum quippe illud est; sic tamen ut singula illa auxilia non inefficacia, ut illi volunt, sed efficacia sint relate ad imperfectum illud bonum, ad quod efficiendum in homine dantur ex intentione Dei, quae deficere non potest (2); adeo ut relate ad ipsum illud qualecumque bonum, quod Deus vult operari in homine, habeant necessitatem, non quidem coactionis, sed infallibilitatis (3): quod non solum accipiendum est de iis motibus, quos Deus operatur in nobis sine nobis (4), ubi mens nostra est mota, et non movens

vens

(1) In Opere de Theologicis dogmatibus lib. IX. c. I., et integro Lib. X.

(2) Vid. S. Th. 1. 2. q. 112. a. 3. in c.

(3) Vid. S. Th. ibid.

(4) Vid. S. Aug. lib. II. c. duas Epist. Pelag. n. 21. et lib. de Gr. et lib. arbit. n. 33.

vens (1); sed et de iis quos operatur in nobis non sine nobis (2), sive in quibus mens nostra non solum est mota, sed et movens (3); licet inefficacia sint singula ad conversionem perfectam. Nam et illa gratia, quae in ea serie est ultima ad operandam hominis conversionem, non eam utique perficeret; nisi illa alia auxilia praecessissent; sed requireretur gratia uberior, et validior, quia adhuc obfirmata esset perversa cupiditas. Ad hoc quippe voluntas illa parva tribuitur; ut augeatur: ad hoc diriguntur a Domino gressus hominis; ut viam ejus velit: ad hoc praevenit gratia; ut jam sibi deinceps cooperetur; ad hoc Deus praeparat voluntatem; ut adjuvet praeparatam (4).

§. CXC.

Illud ipsum magnum perseverantiae donum, quod cum datum fuerit amitti contumaciter non potest (5), quo sanctis in regnum Dei praedestinatis perseverantia ipsa donatur, non solum ut sine isto dono perseverantes esse non possint, verum etiam ut per hoc nonnisi perseverantes sint (6); hoc inquam donum non unius modi est in omnibus, quibus datur. Nam pro parvulis est externa protectio, qua ser-

(1) Vid. S. Th. 1. 2. q. 111. a. 3. in c.
(2) Vide S. Aug. loc. mox cit. de Grat. et lib. arbit.
(3) Vid. S. Th. loc. mox cit
(4) Vid. S. Aug. Epist. CLXXXVI. al. CVI. ad Paulinum n. 10., et lib. de Grat. et lib. arb. n. 33. Vid. et S. Th. 1. 2. q. 112. art. 2. in c., et ad 2., et a. 4. in c.
(5) S. Aug. lib. de Dono Persev. n. 10.
(6) Vid. S. Aug. lib. de Correpti. et Gr. n. 34.

servantur ut accipiant lavacrum regenerationis; et, si filii sint infidelium, in manus veniant fidelium a quibus baptizantur, tum vero immatura mors, qua rapiuntur, anteqnam (1) malitia mutet intellectum eorum, aut fictio decipiat animam illorum (2). Ex adultis etiam quidam tamdiu in hac vita tenentur, donec credant, et baptizentur: vel si jam fideles sunt, resipiscant a viis suis pessimis, in quibus ambulaverunt, impertito eis conversionis dono; et mox ex hujus vitae periculis mortis celeritate subtrahuntur (3): aliis etiam ex adultis, qui pie vivunt, immatura morte subvenitur, cum adhuc justi sunt, ne pereant (4): alios vero in quantacumque vitae longitudine custodit Dominus, ne malitia mutet intellectum eorum (5), vel non eos permittens tentari (6), vel efficiens in cordibus eorum, ut invictissime quod bonum est velint, et hoc deserere invictissime nolint (7): et spiritum eis tribuens virtutis, et caritatis, et continentiae, ut nullis adversitatibus cedant, nec ab illo aliqua superati tentatione discedant (8), sed *cuncta* mi-

(1) Sapient. IV. 11.
(2) Vid. S. Aug. Epist. CXCIV. al. CV. ad Sixtum. n. 31., 32.
(3) Vid. S. Aug. lib. de Praedest. SS. n. 26.
(4) Vid. S. Aug. ibid.
(5) Vid. S. Aug. ib.
(6) Vid. S. Aug. lib. de Don. Persev. n. 22.
(7) Vid. S. Aug. lib. de Corrept. et Gr. n. 38.
(8) Vid. S. Aug. de Don. Persev. n. 22.

minantia, *cuncta* invitantia, *cuncta* cruciantia superent (1).

§. CXCI.

Porro de Gratia Dei non digne sentit quisquis eam putat omnibus hominibus dari: cum non solum non omnium sit fides (2); sed adhuc nonnullae gentes inveniantur, ad quas fidei praedicatio non pervenit: B. autem Apostolus dicit (3), *Quomodo invocabunt, in quem non crediderunt? aut quomodo credent ei, quem non audierunt? quomodo autem audient sine praedicante?* Non itaque gratia omnibus datur: quandoquidem ipsius gratiae participes esse non possunt, qui Fideles non sunt; nec possunt credere ad quos invenitur ipse fidei auditus minime pervenisse. Ita Patres Africani in Sardinia exules (4): qui sane non de sola gratia fidei perfectae, et explicitae in Christum, sed et de ea loquuntur, quae sit tantum inchoata, et implicita, quippe quae habetur ex auditu: nec excludunt solam gratiam fidei efficacem, quam nec habent, qui non obediunt Evangelio; sed etiam inefficacem, quam utique non habent, qui audire non possunt. Absit tamen, ut hinc quisquam aliquid inferat pro illa propositione, qua asseritur, Infideles nullum influxum recipere a Christo, et esse in illis voluntatem nudam, et inermem, sine omni

(1) Vid. S. Aug. lib. de Corrept. et Gr, n, 35,
(2) II. Thess. III. 2.
(3) Rom. X. 14.
(4) In Epist. Synodic. cap. 16.

omni gratia sufficiente. Æquissima est censura in illam propositionem lata ab Alexandro VIII. (1); quem cum egregiis illis Fidei Confessoribus velle committere quis audeat? Nimirum damnata propositio infideles omnes, non secus ac omnes Judaeos, omnesque haereticos universim complectitur. Inter istos autem quis dubitet plures esse, qui aliquem accipiant a Christo influxum, licet eorum vitio, et pervicacia effectu frustretur, quem posset producere? cum ex adverso quemlibet gratiae influxum Africani illi Episcopi nonnisi ab iis infidelibus ablegarint, qui nec audire potuerunt.

§. CXCII.

Parvulis quoque in uteris matrum decedentibus, quibus per regenerationis Sacramentum subveniri non potest, auxilium quodlibet denegari manifestissimum est (2): quod idem non immerito dicitur de iis parvulis, qui antequam ad usum rationis perveniant moriuntur sine baptismo, quem per seipsos petere, aut cupere per aetatem non possunt. Aliud quippe est posse habere auxilium aliquod ad salutem, quod pro parvulis ante usum rationis decedentibus non est aliud, nisi Sacramentum Baptismi: aliud est iis auxilium hujusmodi conferri. Hinc est, quod sicut infidelibus, qui ideo non crediderunt, quia non potuerunt audire, non imputatur ad culpam infidelitas illa negativa (3): ita

(1) In Decreto an. 1690. die 7. Decemb.
(2) Vid. S. Prosper. ad object. 4. Gallor.
(3) Vid. Art. LXV. inter LXXVI. damnatos a S. Pio

ita nec ad culpam imputatur illis pueris, quod Baptismum non acceperint.

§. CXCIII.

Quid igitur? inquies: Pro hujusmodi pueris, pro infidelibus illis negativis non est mortuus Christus? Absit ut ista dicamus. Sicut enim nullus omnino est ex omnibus hominibus, cujus natura in Christo assumpta non fuerit (1), suumque Unigenitum tradidit Pater pro nobis omnibus (2), atque in eo posuit iniquitates omnium nostrum (3), ut scilicet pro omnibus satisfaceret divinae justitiae: ita Filius dedit semetipsum redemptionem pro omnibus (4); et cum omnes mortui essent, scilicet in delictis, unus pro omnibus mortuus est (5); et ideo Salvator est omnium (6), passione sua instituens caussam nostrae liberationis, ex qua possent peccata quaecumque dimitti (7). Usque adeo non est Semipelagianum dicere, Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse, ac sanguinem fudisse (8). Verum etsi ille pro omnibus

Pio V. Bulla *Ex omnibus afflictionibus* an. 1560. die 1. Octobris.

(1) Vid. S. Prosp. ad object. 9. Gallor.
(2) Rom. VIII. 32.
(3) Isaiae LIII. 6.
(4) I. Tim. II. 6.
(5) II. Cor. V. 14.
(6) I. Tim. IV. 10.
(7) Vid. S. Th. 3. p. q. 49. a. 1. ad 3.
(8) Vid. ult. ex quinque famosis propositionibus damnatis ab Innoc. X. Bulla *Cum occasione impressionis* 31. Maji an. 1653.

bus mortuus est, non omnes tamen mortis ejus beneficium recipiunt, sed ii dumtaxat quibus meritum passionis ejus communicatur: (1) ac proinde cum rectissime dicatur Salvator pro totius Mundi redemptione crucifixus propter veram humanae naturae susceptionem, propter communem in primo homine perditionem, propter magnitudinem, et potentiam pretii; potest tamen dici pro his tantum crucifixus, quibus mors ipsius profuit (2): et cum Sanguis Christi pretium sit totius Mundi; ab eo tamen fiunt extranei, qui aut delectati captivitate redimi noluerunt, aut post redemptionem ad eamdem sunt servitutem reversi (3); iique omnes, qui, quaecumque sit caussa, sive scilicet immatura mors in parvulis sive infidelitas negativa in adultis, non commoriuntur, et non consepeliuntur Christo in Baptismo (4).

§. CXCIV.

Actuali pariter gratia etiam inefficaci destitutos arbitramur excaecatos, et obduratos ut non videant, nec intelligant corde; quales erant illi, quos Apostolus Paulus scribit (5) traditos a Deo in desideria cordis eorum, in passiones ignominiae, in reprobum sensum; quales erant et Judaei, de qui-

(1) Vid. Trident. Sess. VI. cap. 3.
(2) Vid. S. Prosp. in respons. ad object. 9. Gallorum.
(3) Vid. ibid. Sent. IX. opposita object. 9.
(4) Vid. cit respons. ad object. 9. Gallor., et Respons. ad object. 1. Vincent.
(5) Rom. I. 24. 26. 28.

quibus ideo testatur Evangelista Joannes (1), quod non poterant credere. Sic enim excaecat, sic obdurat Deus: deserendo, et non adjuvando (2). Id porro judicio facit. Quoniam enim propitio Christo christiani catholici sumus, scimus gratiam, eis, quibus datur, misericordia Dei gratuita dari, quibus non datur, justo judicio Dei non dari (3). Nam (4) misericordiam, et veritatem diligit Deus; et (5) Misericordia et veritas obviaverunt sibi; et (6), Universae viae Domini misericordia, et veritas; et (7), Misericordiam, et judicium cantabo tibi Domine (8). Ut proinde prima causa defectus gratiae sit ex nobis; collationis gratiae prima causa sit ex Deo, secundum illud Osee (9), Perditio tua ex te, tantummodo in me auxilium tuum (10); non quod omnes, qui merentur obdurari, obduret sed quia neminem obdurat nisi merentem; atque ita dando quibusdam auxilium, quod non meren-

R tur,

(1) Joan. XII. 39. 40.
(2) Vid. S. Aug. Tract. LIII. in Joan. n. 6.
(3) Vid. S. Aug. Ep. CCXVII. al. CVII. ad Vitalem n. 16. Sentent. 5. et 6.
(4) Ps. LXXXIII. 12.
(5) Ps. LXXXIV. 11.
(6) Ps. XXIV. 10.
(7) Ps. C. 1.
(8) Vid. S. Aug. L. II. de pec. mer. n. 31.
(9) Osee XIII. 9.
(10) S. Th. 1. 2. q. 112. a. 3. ad 2. Vid. et S. Aug. L. II. de pecc. mer. n. 26.

tur, profecto gratuitam, et per hoc veram suam gratiam esse voluit: non omnibus dando, quid omnes merentur ostendit; bonus in beneficio certorum: justus in supplicio caeterorum, et bonus in omnibus, quoniam bonum est, cum redditur debitum: et justus in omnibus, quoniam justum est, cum indebitum sine cujusquam fraude donatur (1). Cur autem illum adjuvet, illum non adjuvet, penes ipsum est et aequitatis tam secretae ratio, et excellentia potestatis (2). Neque solum iis, qui damnandi praedestinati sunt propter iniquitatem, sed et iis, qui filii sunt misericordiae, quandoque ad tempus subtrahitur gratia, ut contra ipsam superbiam erudiantur (3); atque, ut non adjuventur, in ipsis itidem caussa est, non in Deo (4).

§. CXCV.

At enim Deus vult omnes homines salvos fieri, et in agnitionem veritatis venire (5). Ita plane. Verum si proptetea circa universitatem generis humani salvandam et in agnitionem veritatis vocandam ita indifferens asserenda est voluntas Dei, ut usquequaque neminem hominum praetermisisse dicatur, sicut nonnulli contendunt; quid est, quod prae-

(1) Vid. S. Aug. Lib. de don. Persev. n. 28. et S. Th. L. III. c. Gen. c. 161.
(2) Vid. S. Aug. L. II. de pec. mer. n. 6.
(3) Vid. S. Aug. ibid. n. 26.
(4) Vid. ibid.
(5) I. Tim. II. 4.

praeteritis saeculis dimisit Deus gentes (1) ingredi vias suas, quando (2) Jacob elegit sibi Dominus, et (3) non fecit taliter omni nationi, et judicia sua non manifestavit eis? Aut quid est (4), Qui aliquando non Populus, nunc autem Populus Dei, et qui non misericordiam consecuti, misericordiam consecuti etc. (5)? Quid denique, ne singula percurramus, quid inquam est, quod (6) Paulus, et qui cum eo erant, vetiti sunt a Spiritu Sancto loqui verbum Dei in Asia; et cum tentarent ire in Bithyniam, non permisit eos Spiritus Jesu (7)? Omnes ergo praedestinati ipsi sunt, quos vult salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire; qui propterea, omnes, dicuntur; quia in utroque sexu, ex omni hominum genere, gradu, aetate, et conditione salvantur. Semper quippe voluntas Dei omnipotentis impletur; quia potestas ejus nullatenus vincitur. Ipse est enim, qui (8) omnia quaecumque voluit fecit in coelo, in terra, in mari, et in omnibus abyssis: et (9) cujus voluntati nemo resistit. Verum namque est, quod de

(1) Act. XIV. 15.
(2) Ps. CXXXIV. 4.
(3) Psal. CXLVII. 20.
(4) Vid. Rom. IX. 25. 26. ex Osee I. 9. 10.
(5) Vid. S. Prosp. ad object. 8. Gallor.
(6) Act. XVI. 6. 7.
(7) Vid. S Prosp. Ep. ad Rufinum c. 14.
(8) Psal. CXXXIV. 6.
(9) Rom. IX. 19.

se testatus est Filius (1), quia quos vult vivificat quia in vivificandis nullum initium humanae voluntatis expectat; sed ipsam voluntatem bonam faciendo vivificat; et hoc quidem in majoribus, parvulos autem, in quibus necdum potest bona voluntas fieri, solius gratiae facit operatione salvari (2). Et quoniam qui salvantur, non nisi illo volente salvantur, et qui veniunt in agnitionem veritatis, non nisi illo volente veniunt nisi cujus voluntate nihil fit, possumus hoc itidem sensu intelligere Apostolicum illud testimonium, ita scilicet, ut nemo nisi per ipsum salvetur, nemo nisi eo donante veniat in agnitionem veritatis; ac proinde ii omnes salventur, ii omnes veniant ad agnitionem veritatis, quos Deus voluerit (3).

§. CXCVI.

Remota autem hac discretione, quam Divina scientia intra secretum suum continet; sincerissime credendum, et profitendum esse asserimus: Deum velle, ut omnes homines salvi fiant. Siquidem Apostolus, cujus ista sententia est, sollicitissime praecipit, quod in omnibus Ecclesiis piissime custoditur, ut Deo pro omnibus hominibus supplicetur: ex quibus quod multi pereunt, pereuntium est

(1) Joan. V. 21.

(2) Vid. Synodic. Episcoporum in Sardinia exulum cap. 14., Vid. et S. Aug. Enchirid. c. 103. et de Correpr. et Grat. n. 44.

(3) Vid. S. Aug. cit. cap. 103. Enchirid. et Epist. CCXXVII. al. CVII. ad Vitalem n. 19. Vid. et S. Prosper. Ep. ad Rufin. c. 13.

est meritum: quod multi salvantur, salvantis est donum (1); quin propterea impediatur voluntas omnipotentis, qui et Jerusalem nolente congregare filios suos, ipse quoscumque voluit collegit (2). Nimirum alia sunt, quae dicitur Deus velle efficaciter, sive, ut cum Schola loquamur, voluntate consequenti, et speciali; eaque sic vult, ut eadem ipsa, quae vult, operetur in cordibus hominum occulta, et mirabili potestate: alia autem vult voluntate, ut schola loquitur, antecedenti, et generali, quae relate ad hominem praescindit a particularibus conditionibus naturae corruptae peccati etc. Nec aliud in eo spectat, quam naturam, ut conditam a Deo. Sive, ut egregie ait S. Remigius (3), alia vult Deus bonitate Creatoris, aut aequitate Legislatoris, quae tamen aliquando Judicis aequitate sinit non fieri, eadem interim aequitate Judicis eos ordinans in poenas qui faciunt contra id, quod vult bonitate Creatoris, aut jubet aequitate Legislatoris. Inter ea, quae vult aequitate Legislatoris, est illud, quod mandata sua custodiantur nimis (4); inter ea autem, quae vult bonitate Creatoris est illud, unde nunc agimus, ut omnes salvi fiant, et in agnitionem veniant veritatis, et licet aequitate Judicis non velit omnes sal-

(1) Vid. S. Prosp. ad object. 2. Vincent.

(2) Vid. S. Aug. L. I. Op. imp. c. 93.

(3) Vid. S. Rhemig. L. de Tribus Epist. q. 1. de Praescient. et Praedest. Divina, Vid. et S. Th. 1. p. q. 19. a. 6. ad 1.

(4) Psal. CXVIII. 4.

salvos fieri, et in agnitionem veritatis venire; sed in aliis justissime vindicet originale peccatum, alios sinat male uti proprio libero arbitrio, dimittens eos desideriis cordis eorum: tamen hanc voluntatem ipse facit in cordibus obedientium mandatis ejus, ut velint omnes salvos fieri, et in agnitionem veritatis venire. Atque hoc etiam sensu, quo scilicet in scripturis dicitur voluntas Dei, quam ipse operatur in cordibus servorum suorum, quando secundum Deum volunt, et orant Sancti, ut quisque sit salvus, possumus dicere (1), velle Deum omnes omnino homines salvos fieri: dum scilicet facit, ut hoc velint, et orent Sancti ejus. Quolibet proinde sensu exponatur illud Apostoli testimonium, ex eo numquam conficietur, ut aliqua auxilia gratiae semper omnibus adesse credantur, ita ut nulli umquam fuerint penitus denegata.

§. CXCVII.

Quo loco injuriam gravissimam a quibusdam irrogari S. Thomae Aquinati conquerimur, dum ipsi scilicet apponitur, eam tenuisse Apostolici illius testimonii explicationem, quam Cl. Thomista Estius (2) non dubitat asserere, esse Pelagii: docuisse scilicet Angelicum, latere in verbis Apostoli hanc conditionem, dummodo ipsi velint; quasi vero; ut hujusmodi expositionem improbans in Pelagianis observat cum sua Ecclesia Lugdunensi S. Rhe-

(1) Vid. S. Aug. L. XXII. de C. D. c. 2. n. 1.
(2) Comment. in I. Thimot. II.

Rhemigius (1), Deus, ut salvet homines, humanas expectet voluntates; aut credendum sit, Deum voluntatem bonitatis suae erga salutem hominum, humana obsistente voluntate, implere non posse. Mirum plane est iu mentem cuiquam venire potuisse, ut hanc criminationem Angelico affingeret; cum ipse non alias aut referat, aut probet illius loci expositiones, quam duas S. Augustini, quod scilicet, Omnes, positum sit vel distributive pro omni genere hominum, vel quia omnes, qui salvantur, nonnisi Deo volente salvantur; et tertiam S. Joannis Damasceni de voluntate antecedenti, et consequenti, quam et fuse explicat (2). Ansam nihilominus imponendi S. Thomae arripuerunt ex quibusdam male intellectis ipsius locis, quibus, ut putant, asseruit, Deum omnibus hominibus suppeditare media sufficientia ad salutem, atque ita velle omnes homines salvos fieri, quantum est in se, quod in idem recidit, ac, sub conditione, quod ipsi homines velint.

§. CXCVIII.

Sed falluntur oppido. Ubicumque enim docuit Angelicus, gratiam nulli deesse, sed omnibus, quantum in se est, se comunicare, sicut nec sol deest oculis caecis (3); Deum, quantum est in se, paratum esse omnibus gratiam dare (4), neque deficere

(1) S. Remig. in L. de tribus Epist. c. 13.
(2) Vid. S. Th. 1. p. q. 19. a. 6. ad 1.
(3) Vid. Lect. III. in c. XII. Epist. ad Hebr.
(4) Vid. L. III. c. Gentes c. 159.

ficere ab agendo, quod est necessarium ad salutem (1): nec fidelem fore, si nos vocaret in societatem Filii sui, et nobis denegaret, quantum in ipso est, ea, per quae pervenire ad eum possemus (2): denique legem novam, quantum est de se, dare auxilium sufficiens ad non peccandum (3): atque ad haec firmanda utitur quandoque (4) Paulino testimonio, unde nunc agimus: aliud non intellexit, nisi quod prima causa defectus gratiae sit ex nobis (5); numquam vero sic intellexit, Deum velle omnes homines salvos fieri, quasi humanas expectet voluntates: cum imo expresse doceat, non posse hominem per se ipsum ad gratiam se praeparare absque exteriori, idest actuali, auxilio gratiae (6): non a peccato resurgere (7) non vitare peccatum (8), et quidem etiamsi fuerit justificatus (9) non operari bonum (10), adeo ut cum dicitur homo facere quod in se est, intelligatur esse id in potestate hominis secundum quod est motus a Deo (11). Numquam pariter propositiones illas,

(1) Vid. 1. p. q. 49. a. 2. ad 3.
(2) Vid. Lect. in I. Cor. I. ad vers. 9.
(3) Vid. 1. 2. q. 106. a. 2. ad 2.
(4) Cit Lect. III. in cap. XII. Epist. ad Hebr. et cit. L. III. c. Gentes cap. 159.
(5) Vid. 1. p. q. 112. a. 3. ad 2. Vid. sup. §. CXCIII.
(6) Vid. 1. 2. q. 109. art. 6. per tot., et q. 112. a. 3. in c.
(7) Vid. 1. 2. q. 109. a. 7. in c.
(8) Vid. ibid. a. 8. in c. et ad 3.
(9) Vid. ibid. a. 9. in c.
(10) Vid. ibid.
(11) Vid. ibid. a. 6. ad 2.

illas ; aut eum locum Apostoli sic intellexit, quasi in hoc statu naturae corruptae semper, et omnibus dentur auxilia sufficientia. Hinc est quod in illis ipsis locis, in quibus asserit Gratiam nulli deesse; sed omnibus quantum in se est, se communicare etc. (in quibus tamen, illis ipsis, quos refellimus, non diffitentibus, de gratia loquitur habituali), expresse asserit: iis non dari gratiam (habitualem), qui obicem ponunt: ex gratia autem (actuali) procedere, quod aliquis non ponat obstaculum: quod si aliquis ponat, et tamen moveatur cor ejus ad removendum illud, hoc esse ex dono gratiae Dei vocantis per misericordiam suam: quod autem a quibusdam removeatur istud obstaculum, hoc esse ex misericordia Dei, quod non removeatur, hoc esse ex justitia ejus (1). Et interdum quidem Deus, juxta Angelicum, ex abundantia bonitatis suae, etiam eos, qui impedimentum gratiae praestant, auxilio suo praevenit, avertens eos a malo, et convertens ad bonum: sed sicut non omnes caecos illuminat; nec omnes languidos sanat, ut in illis, quos curat opus virtutis ejus appareat, et in aliis ordo naturae servetur; ita non omnes, qui gratiam impediunt; auxilio suo praevenit, ut avertantur a malo, et convertantur ad bonum, sed aliquos, in quibus vult suam misericordiam apparere, ita quod in aliis justitiae ordo manifestetur. Cur autem Deus hominum, qui

in

---

(1) Vid.cit.Lect.III.in cap.XII.Epist. ad Hebreos.

in iisdem peccatis detinentur, hos quidem praeveniens convertat, illos autem sustineat, sive permittat secundum ordinem rerum procedere: aut quare hos potius convertat, quam illos per Angelicum non est ratio inquirenda: hoc enim ex simplici Dei voluntate dependet, sicut ex simplici voluntate procedit artificis, ut ex eadem materia similiter disposita, quaedam vasa formet ad nobiles usus, et quaedam ad ignobiles. Quamvis autem quosdam peccatores Deus ad se non convertat, sed in peccatis, secundum eorum merita, eos relinquat non tamen eos ad peccandum inducit: quae autem inveniuntur in scripturis, ex quibus videtur, quod Deus sit aliquibus caussa peccandi: velut cum dicitur Deum indurasse cor Pharaonis: secundum hoc intelligenda esse monet Angelicus, quod Deus aliquibus non confert auxilium ad vitandum peccatum, quod aliis quibusdam confert; hoc autem auxilium est non solum infusio gratiae, sed etiam exterior custodia, per quam occasiones peccandi ei homini ex Divina providentia tollantur, et provocantia ad peccatum comprimantur (1), ac denique excaecationem, et obdurationem fieri docet per subtractionem gratiae, ex qua sequitur, quod mens divinitus non illuminetur ad recte videndum, et cor hominis non emolliatur ad recte vivendum; quae quidem distinguntur secundum effectus gratiae, quae et perficit intellectum dono sapientiae, et affe-

---

(1) Vid. L. III. c. Gentes c. 160. 161. et 162.

fectum emollit igne caritatis (1). Neque tamen deficit Deus ab agendo quod est necessarium ad salutem hominis; semper enim agit, quando debet, scilicet bonitati, et sapientiae suae; idest ut justo ex fide petenti sicut oportet, et non deficienti, tribuat, quae petit ad salutem, et agenti poenitentiam de peccato suo, sicut oportet, gratiam justificantem largiatur (2). Multo minus vocatis in societatem Filii sui denegat, quantum in ipso est, ea, per quae ad eum possint pervenire; quia si denegat, denegat ex merito ipsorum; ut interim omittamos et Apostoli locum procedere de vocatis secundum propositum, et eo sensu accipi ab Angelico. Denique lex nova, quae quantum est de se dat sufficiens auxilium ad operandum, non est in mente Angelici, nisi gratia habitualis (3); unde eam antecedenter vocaverat (4) ipsam gratiam Spiritus Sancti, quae datur Christifidelibus per fidem Christi. Quin obstet, quod ipsam etiam novam legem vocat auxilium; etsi enim auxilii nomine frequenter intelligatur actuale, hoc tamen non est perpetuum apud S. Thomam; quippe qui etiam habituale donum quando-

que

(1) Vid. S. Th. 1. 2. q. 79. a. 3. in c.

(2) Vid. Cajetan. in 1. p. q. 4. a. 2. ad 3. Confer. et hunc locum S. Thomae cum alio ejusdem 1. 2. q. 79. a. 1. in c.

(3) Vid. Conradum Koelin, et Silvium in hunc loc. S. Th. 1. 2. q. 106. a. 2. ad 2.

(4) Vid. 1. 2. q. 106. a. 1. in c.

que appellat auxilium (1), ipsumque non secus ac auxilium actuale, dividit in auxilium (2) praeveniens et subsequens, operans et cooperans. Hoc autem loco (3) auxilii nomine, quo appellat novam legem, designare Angelicum donum habituale, ex eo patet, quod dicat majori poena dignum esse, qui peccat post acceptam gratiam novi testamenti, auxilio sibi dato non utens. Nimirum, juxta principia S. Thomae, proprie utimur habitibus, est enim habitus (4), quo quis utitur, cum voluerit, at vero gratia actuali non utimur; usus enim rei alicujus (5) importat applicationem ejus ad aliquam operationem, et (6) Uti, est applicare aliquod principium actionis ad actionem, sic consentire est applicare motum appetitivum ad aliquid appetendum: at vero auxilium gratiae actualis, sive auxilium Dei moventis, non applicatur, sed applicat animam, ejusque potentias, et virtutes ad operandum (7); unde et movet ad bene utendum gratia infusa (8). Ipsa ergo gratia habitualis ex Angelico, quantum est de se,

(1) Vid. S. Th. 1. 2. q. 109. a. 9. in c. Vid. Silvium in 1. 2. q. 106. a. 2. ad 2.
(2) Vid. S. Th. 1. 2. q. 111. a. 2. et 3. in c.
(3) Vid. S. Th. 1. 2. q. 106. a. 2. ad 2.
(4) Vid. S. Th. 1. 2. q. 78. a. 2. in c.
(5) Vid. S. Th. 1. 2. q. 16. a. 1. in c.
(6) Vid. S. Th. Ibid. a. 2. in c.
(7) Vid. S. Th. 1. p. q. 205. a. 1. in c.
(8) Vid. S. Th. Lect. III. in cap. IX. Epist. ad Rom. et Lect. I. in c. XV. Epist. I. ad Cor., et Lect. I. in c. VI. Epist. II. ad Cor.

se, sufficiens auxilium dat ad non peccandum: habitus enim (1) sunt principia actionum, ut secundum ipsos potentia inclinetur ad motus illis habitibus convenientes; et sic motus quibus a Deo moventur creaturae rationales; in quibus sunt hujusmodi habitus, fiant ipsis Creaturis connaturales, et faciles. Nihilominus ut anima supernaturalibus habitibus instructa exeat in actum, et vel peccatum vitet, vel bonum operetur, indiget (2) auxilio gratiae, non quidem quasi aliquo alio habitu infuso, sed secundum alium modum, ut scilicet a Deo moveatur ad recte agendum: est proinde auxilium illud, quod dat nova lex, idest gratia habitualis, auxilium sufficiens, sed in suo genere, quatenus ea accepta non indiget homo alio dono habituali, ut vitet peccatum, et sic vitet, ut ipse actus ejus bonus sit meritorius (3), sitque ei facilis.

§. CXCIX.

Quid vero dicendum de justis? Adest ne semper iis actualis gratia saltem parva, et inefficax (nam de magna, et efficaci dubium non est, quod eis non semper adsit, etiam urgente praecepto), sive ad venialia peccata vitanda, sive saltem ad vitanda crimina, seu lethalia peccata? Adest plane, si sermo sit de justis volentibus, et conantibus facere

(1) Vid. S. Th. 1. 2. q. 110. a. 2. in c.

(2) Vid. S. Th. 1. 2. q. 109. a. 9. in c.

(3) Vid. in cit. locum S. Th. 1. 2. q. 106. a. 2. ad 2. Conradum Koenlin, et Silvium.

cere divinum mandatum; habent quippe voluntatem bonam, etsi adhuc parvam, et invalidam; et quis istam tribuit, nisi ille, qui preparat voluntatem, et cooperando perficit, quod operando incipit (1)? Itaque hoc ipsum quod sic volunt, et sic conantur, dono Dei habent (2), hanc enim voluntatem, hos conatus praevenit Spiritus Sanctus movens mentem hominis vel plus, vel minus, secundum suam voluntatem (3). Quid autem manifestius quam non esse cognitionem ignorantibus, scientiam errantibus, cogitationem incogitantibus, voluntatem nolentibus, conatum non conantibus? Porro, ut recte monet Angelicus, in eo, qui dicitur gratiam Dei habere, significatur esse quidam effectus gratuitae Dei voluntatis (4). Jam vero per gratiam actualem anima hominis movetur a Deo ad aliquid cognoscendum; vel volendum, vel agendum (5); et quidem plus, vel minus, sicut Deus vult (6); et hoc modo ipse gratuitus effectus gratuitae Dei voluntatis in homine est motus quidam animae: actus enim moventis in moto, motus est (7); ac proinde auxilium excitans, quatenus denotat actum voluntatis praeter illustrationes quasdam; et bonas cogitationes intellectui immissas

(1) Vid. S. Aug. L. de Gr. et lib. arb. n. 33.
(2) Vid. S. Aug. L. II. de pec. mer. n. 33.
(3) Vid. S. Th. 2. 2. q. 24. a. 3, ad 1.
(4) Vid. S. Th. 1. 2. q. 110. a. 2. in c.
(5) Ibidem.
(6) Vid. S. Th. 2. 2. q. 24. a. 3. ad 1.
(7) Vid. S. Th. 1. 2. q. 110. a. 2. in c.

missas, complectitur etiam pias quasdam affectiones. Si enim Deus movet voluntatem ad aliquid, impossibile est poni, quod voluntas ad illud non moveatur (1); motio enim illa, secundum quod est a Deo movente, habet necessitatem ad id, ad quod ordinatur a Deo, non quidem coactionis, sed infallibilitatis (2). Si qui ergo sint justi, qui nullam ejus quod agunt notitiam habeant, quod malum sit: vel etiam putent bonum esse quod faciunt: vel notitiam quidem habeant; sed cum agunt, ad eam non advertant, nec cogitent malum esse quod agunt; vel si et advertunt, et cogitant; nullo tamen illius vitandi desiderio tangantur, nedum ab eo abstinere non conentur, sed potius consummata malitia peccent, siqui tales sunt, quis eos asserat aliqua excitante gratia praeventos?

§. CC.

An autem tales nulli sunt? An horum, qui Christianam, et probatam vitam agunt, poterit quilibet de se ipso testari, se praevia sancta cogitatione admonitum, piaque voluntatis affectione excitatum, ut caveret sibi, quoties vel (3) paullo immoderatius risit, vel animi remissione jocatus est, vel vidit aliquid ad concupiscendum, vel aliquanto immoderatius poma decerpsit, vel plusculo cibo crudior fuit, vel cum oraret cogitavit aliquid, unde ejus in aliud avocaretur intentio? Et quo-

(1) Vid. S. Th. 1. 2. q. 10. a. 4. ad 3.
(2) Vid. S. Th. 1. 2. q. 112. a. 3. in c.
(3) Vid. S. Aug. lib. de Nat. et Grat. n. 45.

quo quisque puriorem conscientiam habet, eo plures ejusmodi deteget naevos, qui in communi vita justorum latent, et a nescientibus committuntur: sicut in solis lumine volitantes pulveris minutiae deprehenduntur, quae alias sunt inobservabiles. In multis etiam (1) offendimus omnes, dum (2) putamus Deo, quem diligimus, placere, vel nón displicere quod facimus; et postea per scripturam ejus, sive certa et perspicua ratione commoniti, cum didicerimus, quod ei non placeat, poenitendo precamur, ut ignoscat. Plena humana vita est documentis talibus.

§. CCI.

An dicent contrariae sententiae patroni: Deum quidem perpetuo pulsare ad ostium cordis, sed homines aliis rebus intentos non percipere Divinam vocationem, excitationem, admonitionem? At id, inquit egregie Bellarminus (3), cum ipso experimento apertissime pugnat. Nam cum vocatio, pulsus, tractus, excitatio illa Dei, sit actio nostra, quamvis non libera, nempe bona cogitatio, bonumque desiderium repente divinitus immissum; quomodo potest fieri, ut non sentiatur in nobis, si sit non solum in nobis, sed etiam a nobis? Multo magis autem nequit id fieri, si actio illa nostra sit, quod Bellarminus negat, libera; ut docent, prae

(1) Jacob. III. 2.
(2) S. Aug. lib. de Spir. et Litt. n. 64.
(3) Lib. II. de Grat. et Lib. Arbit. c. 6.

prae caeteris, Navaretta (1), et Alvarez (2). Hinc est, quod scriptura de iis loquens, eosque redarguens, qui vocationi non obtemperarunt, non dicit, eos vocationem ipsam non percepisse; sed, Deum vocasse, hominem renuisse (3); Deum extendisse manus suas, et hominem contradixisse (4) et Spiritui Sancto restitisse (5); Deum voluisse congregare filios Jerusalem, ipsam autem noluisse (6) etc. Quod si aliquando dicuntur homines non audiisse vocem Domini, debemus intelligere, non audiisse, pro non obedivisse positum; eo quod scilicet vocem Domini contemserint, Domino eis non aperiente aurem cordis, ut audientes non audiant; id quod ex justo ejus judicio evenire advertimus (7).

§. CCII.

An eo se recipient, ut dicant, ad imputationem peccati requiri praesentem, et actualem Divinae gratie inspirationem; adeoque ad peccatum non imputari, quae fiant sive ab impiis, sive a justis quacumque actuali gratia destitutis? At hoc illud est, quod oppugnamus, quodque jure improbatum asserimus a Theologis Parisiensibus an. 1641., et Lovaniensibus an. 1657., et a Clero Gallicano in

S Co-

(1) Controv. XVII. in 1. p. q. 19. a. 8.
(2) De Auxiliis Disput. 75. n. 4.
(3) Prov. I. 24. Vid. et Jerem. V. 3. IX. 6.
(4) Rom. X. 21, ex Isajae LXV. 2.
(5) Act. VII. 51.
(6) Matth. XXIII. 37.
(7) Vid. sup. §. CXCIV.

Comitiis generalibus anni 1700. (1). Nam Dominus Israelitis, qui viderant signa, et prodigia, quae ipse fecerat in AEgypto, increpando dicit (2), *Et non dedit vobis Dominus cor intelligens, et oculos videntes, et aures, quae possunt audire*; simul ostendens, et sine adjutorio Domini Dei eos intelligere, et obedire non posse oculis cordis, et auribus cordis: et tamen si adjutorium Dei desit, non ideo esse excusabile hominis vitium; quoniam judicia Dei, quamvis occulta, tamen justa sunt (3). Quod enim dicit, *Et non dedit vobis Dominus*, nullo modo increpans, et arguens diceret, nisi ad eorum quoque culpam pertinere intelligi vellet, ne quisquam se ex hoc excusabilem putet (4). Equidem si adjutorium, sine quo non poterant in accepta stare justitia, vel angelo, vel homini innocenti defuisset, non sua culpa cecidissent (5): nunc autem quibus deest tale adjutorium jam poena peccati est (6), et quidem sive praecedentis actualis, sive saltem originalis (7); humanum enim genus propter peccatum primi parentis meruit privari auxilio gratiae (8): et ideo non recte, nec vere

(1) Vid. Hyacinthum Serry Hist. Congregat. de Auxiliis lib. III. c. 48.
(2) Deuteron. XXIX. 4.
(3) Vid. S. Aug. Quaest. L. in Deuteronom.
(4) Idem ibidem.
(5) Vid. S. Aug. lib. de Corr. et Gr. n. 32.
(6) Idem ibid.
(7) S. Th. 2. 2. q. 2. a. ad 2.
(8) S. Th. 1. 2. q. 106. a. 3. ad 1.

vere dicitur, illos, qui sunt exsortes Divini muneris et quos gratia neglexit degentes mortis in umbra, peccati non esse reos, quia recta gerendi non data sit virtus (1). Hinc est, quod qui non accepta gratia, quod non faciendum est faciunt, et tamen, quia gratiam non acceperunt, nolunt corripi, hoc ipso acriori correptione digni sunt (2). Justorum vero, et Deum pie, veraciterque timentium illa vox est (3), *Ab occultis meis munda me, Domine*, et (4), *Ignorantias meas ne memineris*, in quibus (5) sunt et illa, quando quisque bene fieri putat, quod male fit: quod genus delictorum si non imputaret Deus justus, non ea sibi dimitti posceret homo fidelis (6); neque pro iis instituta fuissent a Deo sacrificia in veteri lege (7).

§. CCIII.

Et quid mirum, quod iis, qui alieni sunt a Christi gratia, imputetur quod male faciant; cum habeant utique arbitrii libertatem, quae ad meren-

S 2 dum,

(1) S. Prosp. in Carmine de Ingratis c. 32. Vid. et S. Fulgent. lib. II. de Verit. Praedest. c. 20., et S. Th. 1. 2. q. 109. a. 8. ad 1.

(2) Vid. S. Aug. lib. de Correpr. et Grat. n. 7., et S Fulgent. loc. cit.

(3) Psal. XVIII. 13.

(4) Psal. XXIV. 7.

(5) Vid. S. Aug. Epist. XLVII. al. CLIV. ad Publicolam n. 4.

(6) Vid. S. Aug. lib. I. Op. imp. c. 105.

(7) Levitic. IV. per tot. et seq. cap. V. 17. 18. 19., et Hebr. IX. 7.

dum, et demerendum requiritur; libertatem scilicet (1) nedum a coactione, sed etiam a necessitate (2)? Neque enim radix libertatis indifferentiae est gratia, sed indifferentia judicii, quae ut persistit sub quacumque gratia efficacissima; ita etiam remanet, gratia etiam quacumque absente. Nullum quippe particulare bonum, sive verum, sive apparens, voluntati ita esse potest conveniens, ut in eo nullus defectus, nullus naevus possit deprehendi: conditio est haec solius boni universalis, et ultimi finis, ut sit aggregatione, et consortio omnium bonorum perfectissimum; et ideo hoc solum est, relate ad quod non habet voluntas indifferentiam arbitrii, quia circa illud unum nequit esse indifferentia judicii (3).

§. CCIV.

Cur revera cui gratia deest non imputetur ad culpam quod peccat? An quia qui nesciens malum esse quod facit, vel etiam putans ex errore bonum esse quod facit, non incongruenter dici potest, nolle peccare? Si hoc est; non ergo peccavit Saulus, cum persecutus est Ecclesiam Dei; quoniam quidem ignorans (4) hoc fecit manens in in-

(1) Vid. Proposit. III. inter quinque famosas damnatas ab Innocent. X. Bulla, *Cum occasione impressionis*.

(2) Vid. Petavium L. IV. de Opificio sex dierum c. 9. n. 3.

(3) Vid. Antoninum Massoulië Diss. II. tom. I. pag. 245. et Berti in Vindiciis Augustinian. systemat. Diss. IV. c. II. §. IX.

(4) I. Tim. I. 13.

incredulitate. Imo bene faciebat quod erat (1) blasphemus, et persecutor, et contumeliosus: quod erat (2) spirans minarum, et caedis in discipulos Domini; in hoc quippe (3) abundanter aemulator existens paternarum suarum traditionum. Non ergo debuit dicere (4), *Misericordiam consecutus sum*; sed, Mercedem recepi; quippe quem ignorantia a peccato reddebat immunem, insuper et aemulatio remunerabilem indicabat. Aut quid caussamur adversus occisores Apostolorum? Quoniam non solum malum esse nescierunt interficere illos, sed insuper quoque id faciendo arbitrati sunt (5) obsequium se praestare Deo. Sed et frustra in cruce Salvator pro suis orabat crucifixoribus, quippe nescientibus, ipso teste (6), quid facerent. Neque enim fas est ullatenus suspicari mentitum fuisse Dominum Jesum aperte perhibentem, eos ignorare quid facerent; etsi vellet quis dubitare de Apostolo, quod carnem suam aemulans, sicut homo mentiri potuerit, ubi ait (7), *Si enim cognovissent, numquam Dominum gloriae crucifixissent* (8). Nimirum homini non imputatur ad culpam quod

 in-

(1) Ibid.
(2) Act. IX. 1.
(3) Galat. I. 14., et Philip. III. 6.
(4) I. Tim. I. 13.
(5) Joan. XVI. 2.
(6) Lucae XXIII. 34.
(7) I. Cor. II. 8.
(8) Vid. S. Bernard. Epist. LXXVII. ad Hugonem de S. Victore.

invitus ignorat; sed ad culpam utique imputatur quod negligit quaerere, quod ignorat (1); quod enim negligit quaerere, ac tenetur scire, non ignorat invitus, sed volens; talis proinde ignorantia, utpote vincibilis, non caussat involuntarium simpliciter (2), neque excusat a culpa: quin potius ipsa negligentia, qua praetermittitur quod fieri debuit, peccatum est (3); et ideo servus, qui non cognovit voluntatem Domini sui, et fecit digna plagis, vapulabit, teste Christo Domino (4), licet paucis prae servo, qui cognovit voluntatem Domini sui. Quin imo in iis, qui subeunt ignorantiae damnum propter libertatem peccandi, gravitatem culpae, quam minuit ex una parte ignorantia, adauget ex alia parte perversitas voluntatis (5). Sola scilicet a peccato excusat ignorantia invincibilis (6); et quidem, ut statuit Alexander VIII., etiamsi esset juris naturalis nulla. Quamquam ignorantia juris naturalis nulla est invincibilis; unde iis, qui de ignorantia, tamquam quae vinci non possit, conquerentes dicebant (7), *Quis ostendet nobis bona?* respondetur (8), *Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine*. Legem enim scriptam in cordibus

(1) Vid. S. Aug. lib. III. de Lib. arb. n. 53.
(2) Vid. S. Th. 1. 2. q. 6. a. 8. in c.
(3) Vid. S. Th. 1. 2. q. 76. a. 2. in c.
(4) Lucae XII. 48.
(5) Vid. S. Th. 1. 2. q. 76. a. 4. in c.
(6) Vid. S. Th. 1. 2. q. 76. a. 2. in c., et a. 3. in c.
(7) Psal. IV. 6.
(8) Ibid. vers. 7.

dibus hominum ne ipsa quidem delet iniquitas (1). Sed etsi aliqua sit ex parte detrita, et ideo indigeamus sapientia, jubemur (2) eam postulare a Domino, qui dat omnibus affluenter; postulare autem in fide nihil haesitantes, ut (3) Dominus det nobis intellectum, quo discamus mandata ejus; et audire Ecclesiam (4), quae est (5) columna, et firmamentum veritatis. Eadem de caussa nullum agnoscimus invincibilem errorem relate ad jus naturale: unde qui a caeco caecus ipse ducitur, non propterea excusatur; sed (6) ambo in foveam cadunt. Aliter autem dicendum est, cum agitur de jure positivo: datur utique quoad hoc invincibilis error, et invincibilis ignorantia: et ideo de fide in se dicebat Christus (7). *Si non venissem, et locutus eis fuissem, peccatum non haberent*, hoc scilicet peccatum, quod non crediderint in Christum (8): neque enim tale est hoc, quod et absque promulgatione naturalis lex ignorare non sineret (9). Hinc jure optimo damnatus est a S. Pio

(1) Vid. S. Aug. lib. II. Confess. n. 9.
(2) Jacob I. 5. 6.
(3) Psal. CXVIII. 73.
(4) Matth. XVIII. 17.
(5) I. Tim. III. 15.
(6) Matth. XV. 14.
(7) Joan. XV. 22.
(8) Vid. S. Aug. Tract. LXXXIX in Joan. n. 1 et 2.
(9) Vid. S. Bernard. Epist. LXXVII. ad Hugonem de S. Victore.

V. (1) articulus LXV. inter LXXVI. *Infidelitas pure negativa in his, in quibus Christus non est praedicatus, peccatum est*: in quorum certe numero minime fuerunt vel crucifixores Christi, qui talia signa viderunt, qualia si facta fuissent in Tyro, et Sidone, isti poenitentiam egissent (2), vel persecutores Apostolorum, aliorumque fidelium; audierunt enim isti, sed contemserunt (3).

§. CCV.

An ideo, quibus gratia deest, non imputabitur quod peccant, quia se peccare non advertunt, nec cogitant? Si hoc est, datur ergo peccatum philosophicum, in eo scilicet, qui de Deo actu non cogitat (4); nec peccabunt peccatores consumatae malitiae, cum blasphemant, et flagitiis se immergunt, si non habeant conscientiae stimulos, nec mali quod agunt notitiam (5).

§. CCVI.

An denique excusabuntur qui resistente, atque torquente dolore carnalis vinculi nequeunt a pravis operibus temperare (6), nisi per gratiam eis subveniatur? At qui hoc putant non advertunt, libertati repugnare quidem necessitatem antecedentem,

(1) Bulla, *Ex omnibus afflictionibus*.
(2) Matth. XI. 21.
(3) Vid. S.Aug.Tract. LXXXIX. in Joan. n. 2., et 4.
(4) Vid. proposit. II. damnatam Decreto Alexandri VIII. die 24. Augusti 1690.
(5) Vid. Censuram Cleri Gallicani in Comit. General. an. 1700., ad Propositionem 112.
(6) Vid. S. Aug. Lib. III. de lib. arb. n. 52.

tem, et physicam; non consequentem, et pure moralem, et ex libera voluntate profectam. Talis est autem illa peccandi necessitas, quae violentia pravae consuetudinis exsurgit. Etenim ex voluntate perversa facta est libido; et dum servitur libidini, facta est consuetudo; et dum consuetudini non resistitur, facta est necessitas (1). Itaque non in peccatum aliqua vera, et antecedenti necessitate rapiuntur homines; sed et in peccato sua voluntate retinentur, et a peccato in peccatum sua voluntate praecipitantur (2): et usque adeo in peccatore non periit liberum arbitrium, ut per illud peccent maxime omnes, qui cum delectatione peccant, et amore peccati hoc eis placet, quod eis libet (3).

§. CCVII.

Ut ad justos redeamus. Neque firma ratione ostendi potest, numquam deesse illis quamcumque gratiam, cum agitur de peccatis lethalibus, per quae amittitur justitia. Adjutos homines novimus Dei spiritu ante baptismum; sicut Cornelium (4); quosdam vero nec post baptismum, sicut Simonem Magum (5). Judicia enim Dei sicut multa abyssus (6), et Gratia ejus non ex operibus (7). Qui op-

(1) Vid. S. Aug. lib. VIII. Confess. n. 10.
(2) Vid. S. Aug. c. duas. epist. Pelag. n. 7.
(3) Vid. ibid. n. 4.
(4) Act. X. 3. et seq.
(5) Act. VIII. 18.
(6) Psal. XXXV. 7.
(7) S. Aug. L. I. Op. imp. cap. 98.

oppositum tueri velit; ostendat oportet, pueris, baptizatis quidem, sed apud haereticos educatis cum in prima ad haeresim adhaesione peccant mortaliter, semper adesse illius peccati cognitionem coelitus inspiratam: pueros item male institutos numquam baptismi gratiam amittere, violata lege naturae, quin illius criminis cognitionem a Deo prius acceperint: eos demum, qui falsa illa persuasione imbuti sunt, licitum illud, et tutum esse in moribus, quidquid est probabile, quod nos utique putamus illicitum, divinitus admoneri de suae persuasionis falsitate, quoties in rebus ad salutem animae pertinentibus (1) certis incerta praeponunt, vel aliis, ut praeponant, auctores sunt, et duces.

§. CCVIII.

Illud tamen fidelibus debet esse certissimum, quod Deus sua gratia semel justificatos non deserit, nisi ab eis prius deseratur (2). Non solum quia non retrahit ab homine gratiam habitualem, nisi homo se se avertat a Deo; quo caeteroquin sensu Tridentinum exponunt gravissimi Theologi (3); verum etiam quia non subtrahit auxilium gra-

(1) Vid. S. Aug. L. I. de Bapt. c. Donat. n. 4.

(2) Trid. Sess. VI. cap. 11. ex S. Aug. Lib. de Nat. et Grat. n. 29.

(3) Vid. Estium in 2. dist. 26. §. 43. ad 5. Silvium Comment. in 1. p. ad q. 23. a. 5. Alvarez de Auxiliis lib. II. disput. 110. n. 19. Nugnum in 3. p. q. 62. a. 5., Nazarium in 1. p. q. 23. a. 5. Ledesmam de Auxiliis a. 12. ad 3.

gratiae excitantis, et adjuvantis, nisi deseratur ab homine. Mala enim nostra non ad hoc solum supernus medicus sanat, ut illa jam non sint; sed etiam ut de caetero recte ambulare possimus: sanat, non solum ut deleat, quod peccavimus; sed ut praestet etiam, ne peccemus (1). Verum sicut prima caussa collationis gratiae est ex Deo; ita prima caussa defectus gratiae est ex nobis (2). Jam vero quam saepe justi propter aggesta multa venialia, propter vitam negligenter actam, propter occultam superbiam, tametsi venialem, merentur, ut divinum lumen se penitus menti subtrahat? quam multi de suis viribus praesumentes ad gratiam non convertuntur juvantem? quam multi a sollicitudinibus, et voluptatibus saeculi sinunt se abstrahi, et non referunt fructum in patientia? Sic nimirum voluntate sua deserunt Deum, et merito deseruntur (3), subtracto etiam illo utique adjutorio, quo Deus, nisi deseratur, justificatos suos non deserit.

§. CCIX.

Etsi vero dicente Christo Domino (4) *Sine me nihil potestis facere*; et testante Apostolo Christi

---

(1) Vid. S. Aug. cit. n. 29. lib. de Nat. et Gr.

(2) S. Th. 1. 2. q. 112. a. 3. ad 3. Vid. et sup. §§. CXCIV., et CXCVIII.

(3) Vid. S. Aug. lib. de Corrept. et Grat. n. 42. et de Don. Persev. n. 12.

(4) Joan. XV. 5.

sti (1); quod non sumus sufficientes cogitare aliquid ex nobis; sed sufficientia nostra ex Deo est, qui (2) operatur in nobis et velle, et perficere pro bona voluntate, haeretico fallatur spiritu, qui per naturae vigorem bonum aliquod, quod ad salutem pertinet vitae aeternae, cogitare ut expedit, aut eligere nos posse asseruerit (3): aliunde vero sciamus adjutorium gratiae Dei non omnibus hominibus dari, sed quibusdam justo judicio non dari (4); absit tamen ut divina praecepta sint, aut dicantur homini impossibilia. Non enim Deus impossibilia jubet: sed jubendo admonet et facere quod possis, et petere quod non possis (5). Petatur ergo; et dabit Deus Spiritum bonum petentibus se (6), adjuvans ut possint (7). Equidem non petimus, nisi volentes; nec volumus, nisi Deus operetur, et velle (8); sed si ad id non adjuvamur, in nobis caussa est, non in

Deo

(1) II. Cor. III. 5.
(2) Philipp. II. 13.
(3) Concil. Arausic. II. Can. VII. Vid. et sup. §. CXXXVII.
(4) Vid. S. August. Epist. CCXVII. al. CVII. ad Vital. n. 16. Sent. 4. et 6. Vid. et sup. §§. CXCI., CXCIV. CXCVII. CXCVIII.
(5) Vid. S. Aug. lib. de Nat. et Gr.n.50.et 83.
(6) Lucae XI. 13.
(7) Vid. Trid. Sess. VI. cap. 11.
(8) Vid. S. Fulgent. lib. II. de Verit. Praedest. et Grat. c. 4. Vid. et sup. §. CXXXVI.

Deo (1). Illud autem quod possumus cum auxilio Divino non est nobis impossibile, juxta illud Philosophi (2), *Quae per Amicos possumus, aliqualiter nos possumus* (3); quando scilicet de iis agitur, in quibus possumus aliquid disponere, vel qualitercumque operari, ut sunt actus nostri deliberati, in quibus est observantia praeceptorum; nam si de iis rebus agatur, in quibus arbitrium non cooperatur, etiamsi per virtutem Divinam fieri possint, dicuntur tamen relate ad hominem impossibilia; ut caecum videre, mortuum resurgere etc. (4). Neque vero ut de homine recte dicatur, quod potest ex. gr. converti, requiritur gratiam sufficientem eo ipso tempore, quo posse dicitur; sed satis est si habere illam, et obtinere possit: quomodo dicitur posse manducare panem, etiam cum panem non habet, neque quicquam, unde sibi panem comparet; ut etiam dicitur quod possit videre, qui non habet lucem, sed in tenebrosum carcerem injectus est, quamvis sine luce visurus sit numquam (5). Multo magis possibilia, non im-

pos-

(1) Vid. S. Aug. lib. II. de Pec. mer. n. 26. Vid. et S. Th. Lect. III. in cap. XII. Epist. ad Hebraeos, et lib. III. c. Gentes c. 159., Vid. et sup. §§. CXCIV., et CXCVIII.

(2) In III. Ethicor.

(3) S. Th. 1. 2. q. 109. a. 4. ad 2., et 2. 2. q. 156. a. 2. ad 1. Vid. et 1. p. q. 62. a. 2. ad 2.

(4) Vid. S. Th. in quaest. disput. de Veritate q. 24. quae est de lib. arbit. art. 11. ad 5.

(5) Vid. Lovaniens. in Justific. Censurae c. 13.

possibilia dici debent praecepta, quia si volumus facimus; licet ut velimus Deus operetur in nobis (1): illud autem dicitur esse in nostra potestate, atque adeo nobis possibile, quod si volumus, facimus, si non volumus, non facimus (2).

§. CCX.

Quod si praeterea homo sit justificatus, et sub gratia; asserere quod mandata divina sint ipsi impossibilia nedum impiissimum, sed et plenissimum insaniae est. Merito igitur sacrosancta Synodus Tridentina in eos anathema intorsit, qui dicerent, *Dei praecepta homini etiam justificato, et sub gratia constituto, esse ad observandum impossilia* (3); et Innocentius X. primam ex quinque famosis propositionibus, *Aliqua Dei praecepta hominibus justis volentibus, et conantibus, secundum praesentes, quas habent, vires, sunt impossibilia; deest quoque illis gratia, qua possibilia fiant*, declaravit anathemate damnatam, scilicet in Concilio Tridentino, iterumque ut temerariam, impiam, blasphemam, et haereticam damnavit (4). Si enim justi sunt; ergo et habent fidem, quae orando impetret quod

---

(1) Vid. S. Aug. lib. de Spir. et Litt. n. 55. et de Grat. et lib. arb. n. 32.

(2) Vid. S. Aug. lib. III. de lib. arb. n. 7. et lib. I. Retr. c. 22. n. 4., et lib. de Spir. et Litt. n. 53.

(3) Sess. VI. cap. 11. et can. 18.

(4) Vid. Bullam, *Cum occasione impressionis* die

quod lex imperat (1); habent caritatem habitualem, quae ipsos inclinet ad diligendum Deum, ejusque mandata servanda sicut oportet (2). Si deinde sub gratia constituti, ut loquitur Concilium, sive, ut ait Summus Pontifex Innocentius, si volunt, et conantur; gratiam utique habent, qua possint mandata servare: quod si vitio suae voluntatis non tantum volunt, quantum requiritur ad implenda mandata, imputent sibi; non autem hinc putent, impossibile aliquid sibi esse praeceptum: imo, si sapiunt, orent, ut tantam accipiant voluntatem, quanta sufficit tantae rei (3).

§. CCXI.

Itaque scimus, Deo donante, Gratiam Dei nobis esse necessariam ad omnem piam cogitationem, ad omnem bonam voluntatem, ad omnem actum bonum (4); atque ita quidem, ut non per ipsam facilius haec habeamus; vel praestemus; sed ut sine ipsa omnino nec inchoentur, nec perficiantur a nobis (5). Scimus proinde, multa Deum facere in homine bona, quae non facit homo; nulla vero facere hominem bona, quae non

---

(1) Vid. S. Aug. L. de Gr. et lib. arb. n. 32.

(2) Vid. S. Th. 1. 2. q. 110. a. 2. in c. Vid. et sup. §. CXXXV.

(3) Vid. S. Aug. L. de Gr. et lib. arb. n. 31., et 33. Vid. et L. de Spirit. et Litt. n. 53., et 63. et de Corrept. et Grat. n. 38.

(4) Vid. sup. §. CXXXVII.

(5) Vid. sup. §. CXXXVI.

non Deus praestet, ut faciat homo (1). Scimus Dei gratiam non omnibus hominibus dari (2); et quibus datur, non solum non secundum merita operum dari, sed nec secundum merita voluntatis eorum, quibus datur; nec secundum merita parentum, aut aliorum; nec secundum praevisionem boni usus liberi arbitrii; sed quibuscumque datur, sive parvulis, sive majoribus, misericordia Dei gratuita dari (3); quibus autem non datur, justo judicio non dari (4).

§. CCXII.

Porro sua dona, quibuscumque Deus donat, procul dubio se donaturum esse praescivit, et in sua praescientia praeparavit (5). Quod si futura dona sua singula et quae danda essent, et quibus danda essent Deus non praescire non potuit, quia non potuit nescire; nec ab alio dari possunt, quam ab ipso; profecto et quae dona, et quibus daret, ipse praedestinavit (6). In sua quippe, quae falli,

(1) Vid. Arausic. II. can. 20.

(2) Vid. S. Aug. Epist. CCXVII. al. CVII. ad Vitalem n. 16. Sent. 4. Vid. et sup. §§. CXCI. CXCIV. CXCIX. et CCVII.

(3) Vid. S. Aug. cit. loc. Sent. 2., et 5. Vid. et sup. §. CXXXI.

(4) Vid. S. Aug. loc. cit. Sent. 6. Vid. et sup. §§. CXCIV. et CCVIII.

(5) Vid. ibid. n. 42. et 43.

(6) Vid. S. Aug. cit. n. 41. de Dono Persev.

li, mutarique nequit praescientia, Deum opera sua futura disponere, id omnino, nec aliud quidpiam est praedestinare (1). Quocirca praedestinatio Dei, quae in bono est, gratiae est praeparatio; gratia vero ipsius praedestinationis effectus (2), sive ipsa donatio (3).

§. CCXIII.

Quod si ergo non ex meritis operum, vel bonae voluntatis, gratia confertur (4), sed gratuito datur, ne jam non sit gratia (5); multo magis gratuita esse debet ipsius gratiae praeparatio, sive praedestinatio. Nisi enim praeparata fuisset, non daretur, nisi autem daretur, nulla essent merita sive operum, sive voluntatum, quae sine illa siquis dixerit esse posse, contradicit Christo Domino dicenti (6), *Sine me nihil potestis facere*. Cumque efficacia divinae gratiae, ipsi intrinseca sit (7), non vero pendeat vel ex qualibet congruitate circumstantiarum (8): vel ex bono usu liberi arbitrii (9) quin imo cum ipsum liberum arbitrium in iis mediis bonis sit, quibus et bene uti possumus, et

 male

(1) Vid. S. Aug. cit. n. 41. de Dono Persev.
(2) Vid. S. Aug. L. de Praedest. SS. n. 19.
(3) Vid. ibid.
(4) Vid. sup. §§. CXXXI., CXXXII., CXXXV.
(5) Rom. XI. 6.
(6) Joan. XV. 5. Vid. Arausic. II. can. 7.
(7) Vid. supr. §§. CLXX., CLXXII., CLXXIV., CLXXX., CLXXXI., et CLXXXII.
(8) Vid. sup. §§. CLXXX., et CLXXXI.
(9) Vid. sup. §§. CLXVII., CLXVIII., CLXXI., et CLXXII.

male (1), bonis autem nemo bene utatur, nisi per gratiam (2), ac proinde ipse bonus usus liberi arbitrii sit donum gratiae; evidens est, neminem potuisse praedestinari ad gratiam ex praescientia boni usus liberi arbitrii.

§. CCXIV.

Asserere itaque, quod sacratissimis animabus Jesu Christi, et Beatae Virginis Mariae, non solum excellentiora dona Deus conferre decreverit; sed etiam easdem praeviderit melius quam caeteras pro sua innata libertate usuras suo libero arbitrio: eaque ratione in tantam dignitatem potius quam caeteras evexerit; non est asserere aliquid, quod ad exaltationem, laudem, et honorem Christi, Sanctissimaeque illius Matris spectet (3). Imo vero hoc ipsum, tanquam capitale crimen objiciebat olim Arianis Alexander Alexandrinus scribens ad Alexandrum Constantinopolitanum (4), quod omni erga Deum exuta pietate, ac reverentia dicerent, Deum cum praescientia et praesensione praenovisset, Jesum neutiquam ipsum aspernaturum; et quia propter singularem in vita, et moribus rite instituendis diligentiam, ac studium, non

(1) Vid. S. Aug. L. I. Retract. c. 9. n. 6.

(2) Vid. S. Aug. ib. Vid. et sup. §. CLXXII.

(3) Vid. Molin. in 1. p. q. 23. a. 4. et 5. disput. I. memb. 11. Concl. 6, pag. 354. col. 2. Edit. Lugdun. an. 1593.

(4) Vid. Tom. II. Concil. collection. Labbaei pag. 11. Vid. et S. Athanas. Orat. I. adv. Arianos circa med.

non ad vitia deflecteret; ideo illum elegisse; adeo ut Paulum, et Petrum, si in hoc et ipsi enixe incubuissent, eodem modo futuros fuisse filios Dei assererent, quo ille fuit. Idem Nestorianis obiicit Cassianus (1). Hoc ergo praecipue commendatur: hoc in sapientiae, atque scientiae thesauris in Christo absconditis praecipue docetur, et discitur; ea gratia fieri ab initio fidei suae hominem quemcumque Christianum, qua gratia homo ille ab initio suo factus est Christus: de ipso Spiritu hominem renasci, de quo est ille natus: eodem Spiritu fieri in nobis remissionem peccatorum, quo Spiritu factum est, ut nullum haberet ille peccatum: ut quomodo non est retributa Christo illa generatio, sed tributa, ut alienus ab omni obligatione peccati de Spiritu Sancto, et Virgine nasceretur; sic et nobis, ut ex aqua, et Spiritu Sancto renasceremur, non retributum est aliquo merito, sed gratia tributum: et quomodo praedestinatus est Jesus, ut qui futurus erat secundum carnem filius David, esset tamen in virtute filius Dei secundum spiritum sanctificationis, quia natus est de Spiritu Sancto, et Virgine Maria; non praevisione meritorum, quae omnia imo ex illa pendebant ineffabiliter facta hominis a Deo Verbo susceptione singulari; ita multi praedestinati sumus, ut essemus membra ejus, non aliquorum praevisione meritorum, quae sine gratia nulla esse possunt,

(1) L. I. de Incarnat. cap. 3. et 4.

sed secundum propositum voluntatis suae, quo (1) elegit nos in Christo ante mundi constitutionem, non quia futuri eramus sancti per bonum usum liberi arbitrii, quem haberemus ex nobis, sed ut essemus sancti, et immaculati in conspectu ejus per donum gratiae ipsius; cujus praedestinationis, et gratiae praeclarissimum lumen, et illustrissimum exemplar est ipse Mediator Dei, et hominum homo Christus Jesus; unde ita unus est, ut plures mediatores non solum non sint, sed nec esse possint; cum tamen duo, et tres, et plures utique essent, vel saltem esse possent, si non per Dei donum; sed propter liberum arbitrium praedestinata fuisset ista naturae humanae tanta, et tam celsa, et summa subvectio, ut quo attolleretur altius non haberet (2).

§. CCXV.

Falluntur etiam qui censent auxilia sufficientia dari a Deo homini supposito quod sit viator; non intelligentes scilicet, quod quibus nunc, in statu videlicet lapsae naturae, tale adjutorium deest, poena peccati est (3), deest autem non paucis, nec semel (4); efficacem vero gratiam dicunt Deum huic

(1) Ephes. I. 4.

(2) Vid. S. Aug. L. II. de Pec. mer. n. 27., de Praedest. SS. n. 30. 31., et 37., et de Don. Persev. n.67.

(3) Vid. S. Aug. L. de Corrept. et Gr. n. 32. Vid. et S. Th. 1. 2. q. 112. a. 3. ad 2.

(4) Vid. sup. §§. CXCI., CXCII., CXCIV, CC., CCVII.

huic conditioni gratuito alligasse, quod scilicet non detur nisi ob meritum aliquod, quod congruum dumtaxat esse ajunt, idque vel alienum, ob preces alicujus viri pii, aut bona ejus opera propter eum facta; vel proprium, quod scilicet oriatur ex consensu praestito illi gratiae sufficienti, quam tamen volunt versatilem, sicut et versatilem volunt gratiam efficacem, in hoc tantum secundum illos a sufficienti distinctam, quod efficax ea sit, cui Deus praevidet infallibiliter consensurum liberum hominis arbitrium, sufficiens vero illa, cujus Deus concipiatur quasi nescire effectum (1): atque hinc volunt, praedestinari homines ad gratiam ex praeviso merito, vel proprio, vel alieno. Falluntur, inquam. Quod si horum vera esset opinio, vicissent procul dubio Semipelagiani; quippe qui, teste S. Prospero, admittebant, unumquemque hominem ad credendum, et ad operandum divinis institutionibus admoneri (2); ut ideo accipiat, quisquis accipit, quia bono naturae bene usus, idest libero arbitrio bene usus, ex viribus propriis consentiendo versatili vocationi (quae quantum ad rem, quam agimus, nihil refert interior ne sit, an exterior), ad salvantem gratiam initialis gra-

 tiae

(1) Vid. Joan. Hard. adnot. ad Vers. 12. cap. XV. Evangel. Lucae; Paraphras. Vers. 48. cap. XIII. Act. Apost., et in Epist. ad Rom. Digres. de Praedest. pag. 461. c. 1, et 465. c. 1.

(2) Vid. S. Prosp. Epist. ad S. Aug. inter Augustinian. CCXXV. n. 3.

sine ope meruerit pervenire (1) : caeterum Deum indifferenter universos velle salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire; hominis vero animum pari momento se vel ad vitia, vel ad virtutes movere, quem bona appetentem gratia Dei foveat; mala sectantem damnatio justa sequatur (2). Sed contra istam praescientiam loquitur Christus dicens (3), *Non vos me elegistis; sed ego elegi vos.* Non ergo praescivit Deus, quod fuerant homines illum electuri, ut ab ipso mererentur eligi : sed utique eos elegit ante mundi constitutionem ea praedestinatione, in qua Deus sua futura facta praescivit; sicut elegit de mundo ea vocatione, qua Deus id quod praedestinavit, implevit (4).

§. CCXVI.

Jam vero Deus aliquos non solum vocat, sed etiam justificat, nec solum justificat, sed etiam glorificat (5). Istis ergo vocationem, et justificationem, et glorificationem se daturum et praescivit, et praeparavit Deus; ac per hoc praedestinavit (6), et praedestinando discrevit ab illa perditionis massa, quae facta est per Adam, euntibus omnibus ex uno in condemnationem (7) utique justis-

(1) Vid. ibid. n. 4.
(2) Vid. S. Prosp. cit. n. 4. Epist. ad S. Aug.
(3) Joan. XV. 16.
(4) Vid. S. Aug. L. de Praedest. SS., n. 34.
(5) Rom. VIII. 30.
(6) Vid. sup. §. CCXII.
(7) Rom. V. 18.

stissimam, nisi quibus indebita misericordia subvenit Deus, ut a morte secunda liberentur per Christum. Isti dicuntur (1) Christo dati: nec ullus eorum perit; ac per hoc nullus eorum ex bono in malum mutatus finit hanc vitam; quoniam sic est ordinatus, et ideo Christo datus, ut (2) non pereat, sed habeat vitam aeternam (3).

§. CCXVII.

Ipsa est igitur Praedestinatio Sanctorum; nihil aliud; praescientia scilicet, et praeparatio beneficiorum Dei, quibus certissime liberantur, quicumque liberantur (4). Quicumque proinde ab illa originali damnatione ista Divinae gratiae largitate discreti sunt, non est dubium, quod et procuratur eis audiendum Evangelium; et cum audiunt, credunt; et in fide, quae per dilectionem operatur, usque in finem perseverant; et si quando exorbitant correpti emendantur; et quidam eorum etsi ab hominibus non corripiantur, in viam, quam reliquerant, redeunt: et nonnulli accepta gratia in qualibet aetate periculis hujus vitae mortis celeritate subtrahuntur. Haec enim omnia operatur in eis, qui vasa misericordiae operatus est eos (5).

(1) Joan. VI. 37. 39.
(2) Joan. III. 15., et VI. 39.
(3) Vid. S. Aug. L. de Corrept. et Gr. n. 21. et S. Th. 1. p. q. 23. a. 6. per totum.
(4) Vid. S. Aug. Lib. de Don. Persev. n. 35. et S. Th. cit. art. in c.
(5) Vid. S. Aug. L. de Corrept. et Gr. n. 13.

§. CCXVIII.

Non sic igitur propositum, et praedestinationem Dei secundum praescientiam debemus accipere; ut ob hoc Deus alios vasa honoris, alios contumeliae fecerit, quia finem uniuscujusque praeviderit, et sub ipso gratiae adjutorio in qua futurus esset voluntate, et actione praescierit, ut olim docebant Massilienses (1). Non enim pro meritis futurae cujusquam bonae operationis potuit Deus facere vasa honoris, quibus et fidem, et ipsa bona opera praeparavit (2), ut in illis ambularent, eaque se ipsis donaturum esse praescivit (3): aut beneficia illa, quae eis praeparavit, talis indolis sunt, ut eorum efficacia pendeat a consensu voluntatis, quem expectent, non faciant; sed utique sunt beneficia certissimae liberationis, eamque certitudinem habent, in se ipsis ex intentione Dei moventis, quae deficere non potest (4); nulla quippe re vincitur Deus (5). Unde eos, non se Christo dedisse per naturales scilicet arbitrii vires, sed a Patre Christo datos Evangelium testatur (6). Nec eo sensu praedestinationem, et propositum

Dei

(1) Vid. S. Prosp. Epist. ad S. Aug. inter Augustinian. CCXXV. n. 8.

(2) Ephes. II. 8. 10.

(3) Vid. Epist. Synodic. Episcop. African. in Sardinia Exulum cap. 6. Vid. et S. Th. 1. p. q. 23. a. 5. Vid. et sup. §. CCXI.

(4) Vid. S. Th. 1. 2. q. 112. a. 3. in c.

(5) Vid. S. Aug. L. de Corrept. et Gr. n. 14.

(6) Joan. VI. 37. 39.

Dei receperunt veteres verbi Dei tractatores secundum praescientiam: eo quippe nomine intellexisse non praescientiam operum, sed donorum Dei, ex eo constat, quod ipsi aperte doceant; non esse aliquid, de quo tanquam de nostro, quod nobis Deus non dederit, gloriemur: nec ipsum cor nostrum, et cogitationes nostras in potestate nostra esse, et totum Deo dandum. Si enim haec ita Deum noverant dare, ut non ignorarent, eum daturum se esse praescisse, et quibus daturus esset non potuisse nescire; procul dubio noverant praedestinationem ex praescientia donorum Dei, non ex praescientia nostrorum meritorum, quia et haec dona Dei sunt (1). Et quid mirum, si cum apud eos legimus Dei praescientiam, et agitur de vocatione electorum, eamdem praedestinationem, idest praescientiam, quam suorum donorum habet Deus debeamus intelligere (2)? quando nullus negare vel dubitare permittitur ubi ait Apostolus (3), *Non repulit Deus plebem suam, quam praescivit*, praedestinationem significare voluisse: praescivit enim reliquias, quas (4) secundum electionem gratiae fuerat ipse facturus: nec aliud est praedestinasse, quam (5) praescisse quod fuerat ipse facturus (6).

§. CCXIX.

(1) Vid. S. Aug. L. de Don. Persev. n. 50.
(2) Vid. Ibid. n. 48.
(3) Rom. XI. 2.
(4) Ibid. vers. 5.
(5) Vid. sup. §. CCXII.
(6) Vid. S. Aug. L. de Don. Persev. n. 47.

§. CCXIX.

Ipsa est electio, non meritorum sed gratiae (1), qua elegit nos Deus ante mundi constitutionem, ut essemus sancti, et immaculati in conspectu ejus in caritate, praedestinans nos in adoptionem filiorum per Jesum Christum in ipsum, secundum propositum voluntatis suae, in laudem gloriae gratiae suae (2). Distant enim qui eliguntur ad gratiam salutarem, ab iis qui rejiciuntur, non meritis propriis, cum sit utriusque caussa communis: nec intuitu futurorum meritorum cum omne in iis meritum inchoet dilectio: sed distant sola Dei dilectione, quae electionem praecedere intelligitur, non quidem tempore cum utrumque sit aeternum, sed ordine quodam caussalitatis (3). Haec dilectio Dei, propositum ejus est dandi gloriam, quibuscumque vult dare: in quibus diligit non originale peccatum, quod ipse non fecit, sed gratuitum misericordiae suae donum, quod in iis operaturus est ipse, ut sint in laudem gloriae gratiae suae, atque ostendat in ipsis divitias gloriae suae, qui omnia propter semetipsum operatur. Ex hoc proposito praeparat illis beneficia certissimae liberationis, eos eligendo ad fidem, ad justificationem, ad perseverantiam usque in finem in fide per dilectionem operante, atque in tempore haec ipsa illis dona confert, atque ita manet propositum e-

jus,

(1) Rom. XI. 5.
(2) Ephes. I. 4., 5., 6.
(3) Vid. S. Th. 1. p. q. 23. a. 4. in c.

jus, nec aliter adimpletur, quam secundum electionem, hoc est secundum eam beneficiorum seriem, ad quam illos praedestinavit. Unde et electionem Jacobi, secundum quam mansit Dei propositum, dilectioni Dei tribuit Apostolus (1), adhibens ad id testimonium Prophetae (2), qui longe posterior prophetavit, quam gemini illi nati, et mortui sunt; operibus vero usque adeo Divinum propositum, et electionem Jacobi Apostolus non tribuit, ut imo opera ipsa aperte excludat (3); ut quoniam veteribus Sanctis omnia in figura contingebant, scripta sunt autem propter nos (4) intelligeremus in illa figura praedestinationis Jacobi ad hereditatem temporalem, praedestinationem nostram ad hereditatem coelestem non ex operibus esse factam, sed ex dilectione, hoc est ex gratuito proposito Dei, qui (5) miseretur cujus miseretur, et misericordiam praestat, cujus misertus fuerit. De praedestinatione enim Sanctorum agebat Apostolus, cum ad commendandam Dei gratiam, in quem scopum per totam illam Epistolam ad Romanos ejus vigilat intentio, exemplum duorum geminorum commemoravit.

§. CCXX.

(1) Rom. IX. 13.
(2) Malach. I. 2.
(3) Rom. IX. 11. 12.
(4) I. Cor. X. 11.
(5) Rom. IX. 15.

§. CCXX.

Errant igitur qui cum VVoolzogenio asserunt, Electorum vocem in scripturis significare illos omnes, qui Deo vocanti morem gerunt, et credunt Evangelio; et specialius adhuc designare eos, qui inter primos illos electos, seu vocatos eminent, tanquam electi in supremo gradu. Sed et expressius adhuc dogmati de praedestinatione repugnant, qui eo nomine nihil aliud significari docent in sacris litteris, nisi aeternum Dei propositum de Evangelio gentibus omnibus praedicando, deque Ecclesia non ex Judaeis tantum, sed etiam ex gentibus convocanda. Quibus omnibus occurrit Apostolus docens, ad eos referri Divinum propositum, quibus omnia cooperantur in bonum, adeo ut vocentur, justificentur, glorificentur; nec alios istos esse, quam quos prescivit, et praedestinavit (1).

§. CCXXI.

Caeteri vero et qui Evangelium non audierunt, et qui eo audito in melius commutati perseverantiam non acceperunt; et qui Evangelio audito venire ad Christum, hoc est in eum credere, noluerunt; et qui per aetatem parvulam nec credere potuerunt sed ab originali noxa solo possent lavacro regenerationis absolvi, quo tamen non accepto mortui perierunt, non sunt ab illa conspersione discreti, quam constat esse damnatam, euntibus omnibus ex uno in condemnationem (2). Ex his ii, qui

ad

(1) Rom. VIII. 28., 29. 30.
(2) S. Aug. L. de Corrept. et Grat. n. 12.

ad Christum veniunt, et fideliter ac pie vivunt, quamdiu ita vivunt, filii Dei sunt utique; sed filii sunt temporales: deserunt, et deseruntur, non accepto magno perseverantiae munere (1); electi sunt ad fidem, electi etiam ad pietatem: sed non electi ad perseverantiam. Quantum proinde ad illam attinet Evangelii sententiam (2). *Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit*, pertinent ipsi ad multitudinem vocatorum, non ad paucitatem electorum (3), non enim vocati sunt secundum propositum; nam qui secundum propositum vocantur, non solum etiam justificantur, sed et glorificantur.

§. CCXXII.

Hic si a nobis quaeratur, cur non omnes docet Pater, ut veniant ad Christum; aut cur quibusdam perseverantiam non donat, quibus eam, qua christiane viverent, dilectionem dedit: respondebimus, et misericordiam in his, qui liberantur, et veritatem in his, qui puniuntur sine dubitatione nos credere (4). Nam etsi neminem liberaret Deus non esset injustus. Ex uno quippe omnes in condemnationem non injustam judicati sunt ire, sed justam (5). Quod ergo illos non dilexerit, et elegerit Deus; meritum est originalis peccati; quod ad mortem eos merito sempiternam praedestinaverit: ex praescientia est, non eorum, quae facturus erat

(1) Vid. S. Aug. ibid. n. 42.
(2) Matth. X. 22.
(3) Vid. S. Aug. L. de Corrept. et Gr. n. 21.
(4) Vid. S. Aug. L. de Don. Persev. n. 25.
(5) Vid. ibid. n. 16.

erat Deus, sed eorum quae facturi essent illi: nempe est praescientia vel originalis peccati, cum quo eos praevidet ex hac vita decessuros, vel actualium, quae propria voluntate committent, Deo ad ipsa peccata non praedestinante, sed solum, ut in ea suo libero arbitrio corruant, permittente.

§. CCXXIII.

Si autem iterum quaeratur a nobis, cur hunc potius quam illum liberaverit, hunc potius quam illum puniat; respondebimus, hoc nos ignorare, nec invenire quid dicamus; quia in hac re, sicut justa est ira ejus, sicut magna est misericordia ejus; ita inscrutabilia sunt judicia ejus (1).

§. CCXXIV.

Si denique a nobis quaeratur cur eos, quibus non est daturus beneficia certissimae liberationis, nihilominus creet Deus; respondebimus, hoc item quaeri posse, etiamsi nulla esset praedestinatio, sed sola in Deo praescientia. Itaque alia est causa nascendi, et alia est causa pereundi, ut nascantur homines, creatoris est beneficium, ut autem pereant, praevaricatoris est meritum. Nimis proinde impius est, et indoctus, qui vitium naturae non discernit ab Auctore naturae, a quo prorsus alienum est, quidquid in unoquoque damnandum est. Creat enim homines, ut sint homines: nec multiplicandis generationem successionibus opificium suum subtrahit secundum consilium bonae voluntantis suae, re-

(1) Vid. S. Aug. L. de Dono Pers. n. 18.

reparaturus in multis, quod ipse fecit, puniturus in multis, quod ipse non fecit (1).

§. CCXXV.

Numerus ergo Sanctorum per Dei gratiam Dei regno praedestinatus donata sibi etiam usque in finem perseverantia illuc integer perducetur, et illic integerrimus jam sine fine beatissimus servabitur, adherente sibi misericordia Salvatoris sui, sive cum convertuntur, sive cum praeliantur, sive cum coronantur (2). In hac autem vita non solum miscentur infidelibus, ut si jam fideles sunt agnoscant, quid sibi Deus per gratiam contulerit; miscentur in ipsa quoque Ecclesia impiis, ut si jam pii sunt, agnoscant de quanto malo avertit eos Dominus: sed etiam miscentur non perseveraturis, ut cum timore, et tremore salutem suam operentur. Si autem adhuc foris sunt, et pertinent ad numerum praedestinatorum; non dubium, quod non prius ex hac vita migrabunt, quam ad Catholicam Dei misericordia veniant Ecclesiam extra quam aeterna salus obtineri non potest; quia ipsa sola est corpus Christi: nec nisi corpus suum Christus glorificabit, et in qua sola colitur hic Deus verae religionis obsequio non solum per actus interiores, sed et per actus exteriores; ut totus homo, qui duplici constat substantia, Creatoris sui cultui mancipetur, ut in altero saeculo Deo ipso fruatur,

qui

(1) Vid. S. Prosp. in respons. ad object. 3. Vincentian.
(2) Vid. S. Aug. L. de Corrept. et Gr. n. 40. et S. Th. 1. p. q. 23. a. 7.

qui finis est beatitudinis nostrae, quam ut assequeremur, misit Deus Filium suum ubi venit plenitudo temporis, factum ex muliere, ut adoptionem filiorum reciperemus (1).

F I N I S.

(1) Galat. IV. 4. 5.

INDEX

RERUM MEMORABILIUM IN FORMAM SYNOPSIS

SECUNDUM ORDINEM

Articulorum digeſtus, & in hac primum Editione piiſſimo Lectori oblatus.

Cum Religio ſit, quæ Divinæ naturæ curam, ceremoniamque affert §. 1.: nimis indignum eſt ad hanc diſputationem admittere, qui vel Deum exiſtere, vel Proviſorem eſſe negant §. 2.

Religio autem homini, non Deo prodeſt §. 3.; ac proinde error circa Religionis electionem turpiſſimus eſt. Qua in re etiam tum Indifferentiſtæ, tum Politiciſtæ peccant §. 4., imitantes Ethnicos Philoſophos §. 5.; quibus accenſendi & alii recentiores §. 6.; qui tamen audiendi non ſunt §. 7.

De Idololatria, Politheiſmo, Manichæiſmo, Fataliſmo.

Primus autem in Religione error eſt Idololatria, quæ vix in lucem prodita §. 8., longe, lateque pervagata eſt §. 9.; & etiam nunc apud Sinenſes viget: quorum Ritus an Idololatrici ſint, cauſa finita eſt §. 10.

Idololatriæ autem plura ſunt genera, a quibus Politheiſmus derivavit §. 11, 12, 13 (*quamvis Ethnicorum ſapientiores unum Deum agnoverunt* §. 14, 15). Hic autem Politheiſmus falſus eſt. Si enim Deus unus non eſt, omnino non eſt; quia ſi plures ſunt, nullus eorum ſummus eſt §. 16. Sic homines errarunt non advertentes, quod ſi faciat homo Deos, ecce ipſi non ſunt Dii §. 17, 18.

V Po-

Politheiſmus vero etſi ante Diluvium non extitit §. 19; poſt Diluvium tamen cito ſatis obtinuit §. 20. Ita enim extabat & poſt, & longe ante Moyſem §. 21, 22; ut a poſteris Cham cenſetur exortus §. 23, a quibus etiam Manichæiſmus ille derivavit, unde poſtea Stoici Fataliſmum hauſerunt §. 24: quo tamen nihil abſurdius reperiri poteſt §. 25.

De Politiciſmo, & Indifferentiſmo.

ALter vero in Religione error eſt; ſi cum unus Deus agnoſcatur, non ſic, quomodo Se colendum Ille voluerit, colatur; ſed obſequium qualecumque ſufficere arbitretur §. 26; quemadmodum Indifferentiſtæ, & Politiciſtæ commenti ſunt; ſed quanta abſurditate jam videri licet §. 27, 28, 29, 30.

Vera Religio quæ? Item de Revelatione

VEra itaque Religio eſt, qua colitur unus Deus, ſecundum ipſius inſtitutionem, atque doctrinam; ſed hic oritur quæſtio *an cognitione unius Dei, & naturali lege tantum; an etiam Revelatione conſtet?* Cujus Revelationis poſſibilitatem §. 31, & neceſſitatem Theiſtæ impugnant magnopere extollentes vim rationis. Sed falluntur prorſus. *Quis enim cognoſcit ſenſum Domini?* §. 32, 33, 34.

Revelatio autem ab initio Mundi cœpit §. 35; nec Hebræis tantum, ſed etiam Gentilibus Deus quædam revelavit §. 36, 37. Quod ſi Judæis nova præcepta, ſacrificia, & novos ritus addidit; nec variavit fidem, nec ſalutem; nec *novam Religionem* condidit §. 38. Nec injuſtus extitit ſi paullatim, & ſucceſſive; & huic potius, quam altero populo Revelationem fecit §. 39.

Deum vero Revelationis hujus Auctorem fuiſſe, dubium non eſt; nam ipſis Propheticis oraculis eventu completis 40, 41, & miraculis ipſis convincimur §. 42.

De

De Naturalismo, & de Statu Naturæ Puræ.

SEd jam adversus illos est nobis agendum, qui duplicem Religionem *Naturalem*, & *Revelatam*: & duplicem Beatitudinem *Naturalem*, & *Supernaturalem* distinguunt §. 43, quorum Sophismata §. 44. hic refutantur §. 45, 46.

Verum hoc Systema idem est, ac *Status Naturæ*, quam vocant *puræ*, *a Pelagio derivatus*, non tantum ut possibilis creditus; sed etiam ut existens §. 47, Hinc errores nuperi Theologi, qui docebat Religionem Naturalem a Dei idea promanantem, se ad futuræ vitæ statum extendere: ita ut homo propriis viribus (quas dicebat pares esse & post, & ante peccatum Adæ) legem naturalem servans, valebat ad beatitudinem naturalem assequendam &c. §. 48. Sed isti *totum id*, *quod Christiani sumus*, *nituntur evertere* §. 49, *& Crucem Christi evacuant* §. 50.

Nam Status Naturæ puræ nec existit, nec possibilis quidem est: & idem est fingere ut possibilem, ac propugnare existentem §. 51. Si conferatur enim homo in statu naturæ puræ §. 52, 53 cum homine sicut nunc nascitur §. 54; nulla inter eos intrinseca differentia agnoscitur §. 55. Ex horum autem opinione quænam absurda seguantur in Theologia §. 56, 57 quænam in Ethica Christiana; nemo non videt §. 58.

Animadvertendum est autem, quod quædam ex his consectariis aliqui Theologi & viderunt, & probarunt §. 59: e contra nonnulli haud viderunt; ideoqae nec probarunt §. 60. Item animadvertendum sententiam nostram in Bulla *Ex omnibus afflictionibus* minime damnatam fuisse §. 61,

Est autem tam magnum bonum natura rationalis, ut nullum sit bonum, quo beata sit, nisi Deus §. 62, quod confuse etsi naturaliter appetatur; tamen sine gratia obtineri nequit §. 63. Non est enim novum, atque naturæ hominis indignum, naturaliter appetere, quod nonnisi supernaturali auxilio consequi possit §. 64.

Frustra igitur fingitur *medius felicitatis locus*, quem non agnovit Catholica Ecclesia §. 65.

Deus autem Sapientiæ, & Bonitati suæ debebat, ut humanam naturam condens, media fini respondentia suppeditaret §. 66. Repugnabat quippe eidem Bonitati, Sapientiæ, & Justitiæ Dei hominem condere cum *peccato* §. 67 (quod Sanctæ Sedis Apostolicæ decisionibus minime officit §. 68), cum *Concupiscentia* §. 69, *Ignorantia* §. 70; itemque *Mortalem* §. 71, cæterisque *miseriis* subjectum, quibus nunc humana vita afficitur. *Nemo enim sub Deo justo, nisi peccati merito, miser esse potest* §. 72. Quod si nunc homo una cum morte has miserias patitur; opera sunt peccati, non opera Dei; Sicut scriptura testatur §. 73.

Et his nec Articuli damnati §. 74, nec Augustini Libri contra Manichæos, officiunt §. 75, 76. Sufficiuntque ut veterum, recentiorumque Pelagianorum errores penitus deiiciantur §. 77.

De Homine Condito.

CUm Deus creavit hominem, simul condidit naturam, & largitus est *gratiam* §. 78.; donavit eum *immortalitate*, dummodo in accepta justitia maneret §. 79: Sine *concupiscentia* §. 80: sine *ignorantia* §. 81: deditque ei multa alia bona, quæ felicem vitam suam faciebant §. 82. Tamen natura ejus non valebat ad perseverandum in justitia; sed indigebat adjutorio Dei, sine quo non poterat permanere §. 83.

Si ergo Adam justus tam imbecillis: qui fieri potest, ut præsens homo in corpore mortis hujus viribus naturæ aliquam beatitudinem assequatur? (verum de hoc paulo post dicetur) §. 84, 85.

Primo autem homini non deerat adjutorium in Paradiso; ideoque in arbitrio ejus erat posse non peccare, neque mori, si voluisset, sine quo non potuisset §. 86.

De

De Peccato Originali, ejusque effectibus: Itemque de Circumcisione, & Baptismo.

HOmo autem cupiens esse sibi ipsi principium amplioris beatitudinis, Diaboli laqueis captus, a Creatore suo recessit §. 87; quapropter pro libertate, quam concupivit, duram servitutem, mortem, ingentesque vitæ miserias assecutus est, quas assecutus non fuisset, nisi peccasset §. 88. Quod non sine magno errore a Pelagianis, & Naturalistis negatur §. 89.

Igitur per unum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors, quæ ambo generatione transfunduntur in omnes homines §. 90, pro quibus omnibus mortuus est Christus, cujus sanguine effecti sunt participes & qui ante eum circumcisi fuerunt, & qui post eum baptizantur §. 91.

Hæc est gratia, quam Deus per Ezechielem promisit, ne filius portaret amplius iniquitatem patris; quam non sic intelligendam effecisse, quin peccatum amplius transferatur in posteros §. 92. Nam homines, etiamsi Justi, cum gignunt, ex carne gignunt; ideoque filii, qui nascuntur, non justi, sed peccatores nascuntur §. 93; quia mundatio a peccato non generationis carnalis ex Adam est opus; sed generationis spiritualis in Christo §. 94, 95, 96.

Vinculum itaque peccati a concupiscentia per generationem transmittitur §. 97; attamen nec damnandæ sunt nuptiæ, quia finis earum generatio est §. 98.

Unusquisque igitur peccati reus evasit, non propria, sed illius voluntate commissi, in quo omnes originaliter fuerunt, quando communem naturam, mala voluntate vitiavit §. 99. Non igitur opus est alia explicatione, ut transfusio hujus peccati intelligatur §. 100.

Sed quamvis hoc de Adæ peccato: non tamen aliorum patrum peccata transferuntur in filios: sicut nec in istos eorum justitia transfertur §. 101: verumtamen aliquando Deus occulto, justoque judicio suo solet pu-

punire peccata parentum in filios usque ad quartam generationem §. 102.

Quamvis autem quomodo originale peccatum per generationem transfunditur, superet humanum captum; tamen Ecclesia ejus existentiam semper credidit, sicut nunc credit §. 103, a cujus fide nuperus Theologus recessit §. 104.

Hoc autem peccatum inest unicuique proprium §. 105, & aliud non est, quam concupiscentia cum reatu §. 106; Sed accedente Baptismo, manente ignorantia, concupiscentia, infirmitate, cæterisque pœnis, aufertur, non raditur; deletur, non tegitur totum id, quod rationem habet peccati §. 107.

Sed alii dicunt: Cur Baptismus has pœnas non abstulit cum Christus debuerit prodesse nobis plus, quam nocuerit Adam? Vitreum argumentum! §. 108 Christus revera confert & remissionem peccati, & immortalitatem §. 109, sed ut istam assequamur, oportet prius conformari passionibus ejus, quo facto spiritus ejus qui suscitavit eum, vivificabit & mortalia corpora nostra §. 110. Nec repugnat quod post Baptismum retineamus languorem: nam æquum est, ut in laboribus & molestiis erudiatur caro peccati ad servandam justitiam §. 111. Manet igitur mors, sed non tantum ad pœnam, verum etiam ad agonem: manet concupiscentia, sed ad certamen: manet infirmitas, sed ut virtus perficiatur: manent hæc omnia, sed ut a tumore superbiæ sancta humilitate sanemur §. 112.

Sed ante Christum erat & circumcisio imperata Abrahæ §. 113, quæ justificantem gratiam ad solvendam antiqui peccati obligationem conferebat; non virtute propria, sicut Baptismus, sed tantum ex fide in Christum, cujus illa erat signum §. 114.

Sed & ante Abraham credendum est aliquod aliud fuisse Sacramentum, unde per fidem in Christum ab originali peccato parvuli mundarentur §. 115.

Si qui igitur extiterunt parvuli, qui sine Salvatoris Sacramento ex hoc sæculo transierunt, & transeunt; tenenda est Catholicæ regula veritatis, quia damnantur §. 116; ac propterea Impiorum sunt consortio depura-

putati; ficut & Sanctus Augustinus §. 117, & totius Ecclesiæ Fides testatur §. 118.

Quod si hoc de parvulis, quanto majore supplicio puniendus erit adultus, qui per Baptismum ex hoc reatu solvi vel neglexetit, vel contempserit? aut si Baptismum acceperit, quid proderit ei sine fide in Christum, quæ æque ac illud necessaria est, ut membrum ejus evadat? §. 119.

Non sufficit autem sola fides in Deum tamquam existentem §. 120; & tamquam unicum, & remuneratorem inquirentibus se; sed requiritur fides Incarnationis, Passionis, & mortis Christi §. 121, sine qua etiam antiqui Justi non potuissent a peccatis mundari §. 122. Sed hanc fidem (etsi non omnes æque explicite) habentes, erant revera Christiani §. 123; immo Fratres, Cohæredes, & membra Christi §. 124. Quapropter colentes Deum per Religionem, cujus essentia non erat a nostra distincta (nam etiam nunc Justus ex fide vivit) §. 125, ad Ecclesiam pertinebant §. 126.

Christus igitur antequam advenisset, potuit prodesse eis; nam gratia, Christo nascente, aucta, non cœpta est. Quod tam Christo contumeliose quidam nuperi Theologi negant §. 127, fingentes sibi Systema, quo Christum necessitarent rigore justitiæ ad satisfaciendum, tamquam Primogenitum, in quo omnia jura Primogenituræ collecta erant §. 128 cujus tamen figmenti nullum extat in Scriptura & in Traditione vestigium; imo prorsus est a veritate alienum §. 129.

Credendum est igitur per Adam omnes effectos fuisse massam peccati: per Christi gratiam liberari, quicumque liberantur. Hæc est Fides Christiana, in qua sola vera Deo vero veraciter, fideliterque servitur §. 130.

De Gratia.

GRatia autem non ex operibus: in quo Pelagiani, & aliqui Theologisti peccant §. 131, quorum est improbanda sententia §. 132. Nec ex merito alieno; aut pro præmio boni operis bene facti ex gratia; aut tam-

tamquam auxilium debitum homini Viatori. Sed est prorsus gratuita. Massæ enim damnatæ, quid aliud debetur, nisi damnatio? §. 133. Nec tamen negatur esse petendum: Sed orationibus nostris voluit Dominus nos admonere, a quo hæc beneficia accipiamus §. 134.

Non itaque gratia prævenitur a meritis; sed gratia prævenit, & inchoat omne meritum, etiam initium fidei §. 135: & quidquid boni habet homo ab initio fidei usque ad finalem perseverantiam, donum gratiæ est §. 136. Hinc Ecclesia pro omnibus tam justis, quam peccatoribus orat, ut Deus det quod jubet (adjuvando scilicet) cui jubet; non enim hæc poscerentur, nisi dona Dei essent §. 137. Sic evanescit omnis superba gloriatio hominis de bonis operibus §. 138.

Neque vero sic existimanda est gratia necessaria, ut aliqui tantum omnia bona habeant ex Deo; alii vero partim ab eo, partim a semetipsis (uti Cassianus putabat). Neque (uti Pelagius censebat) sic credenda est gratia necessaria, ut facilius faciamus bonum §. 139. Quisquis enim hæc sentit manifeste repugnat scripturarum oraculis §. 140.

Nec solum ita est necessaria, ut dimittantur peccata; quemadmodum etiam Pelagius censebat. Non enim ad hoc tantum mala nostra Supernus Medicus sanat, ut illa jam non sint; sed etiam ut de cætero recte ambulare possimus. Quod quidem etiam Sani, nonnisi illo adjutorio poterimus §.141. Sed in illum errorem Pelagius devenit, quia credebat naturam non potuisse in deterius mutari; ideoque liberum arbitrium esse in æquilibrio, & tantum ad peccandum valere, quantum ad non peccandum. Ex hoc profluxit ut crederet gratiam non distinctam a Lege; & eam non valere nisi ad illustrandum, ut facilius possimus. Hinc etiam errores Cœlestii, & Juliani §. 142.

An autem ab his Pelagianis dogmatibus discrepent quorumdam Theologorum opiniones, Judicio Ecclesiæ relinquitur §. 143.

Sed necessitatem gratiæ jam Synodus Tridentina, & Arausicana II. explanarunt, quarum doctrina in unum hic collecta est. §. 144.

Hæc autem gratia nihil aliud est, quam inspiratio

San-

Sanctæ dilectionis, ut cognita sancto amore faciamus §. 145. præter gratiam vero sic definitam sunt & dona Dei aliæ virtutes, attamen unaquæque istarum sanctæ dilectioni innititur §. 146.

Ipsum vero novum Testamentum, quod Deus per Ezechielem promiserat, nihil aliud est, quam Spiritus Sanctæ dilectionis, ut diligendo, filii adoptionis implerent justitiam legis §. 147. quod tamen verbis Apostoli minime opponitur §. 148, 149. Duorum namque Testamentorum differentia est timor & amor §. 150.

Hinc declaratur apertius Divinæ gratiæ necessitas ad omnes, & singulos actus bonos; non enim ex nobis, sed ex gratia Dei est, ut innotescat bonum, quod latebat; & suave fiat quod non delectabat §. 151.

Hinc quamvis qui sub Lege sunt, faciant conspicua opera Legis; tamen Legem non implent, nisi ducantur amore justitiæ, non timore pœnæ §. 152. . Nec sequitur timorem gæhennæ in seipso malum esse; immo est utilis: sed timentis, non timoris vitio fit, ut bonum, quod agitur, non bene agatur §. 153, 154; ideoque Tridentina Synodus anathema dixit illis, qui credunt hunc timorem malum esse, aut pejores homines facere §. 155.

Hinc sequitur quod nisi homines in Deum, tamquam finem ultimum referant opus bonum, quod faciunt, ipso non recto fine peccatum est. Non enim officiis, sed finibus a viriis discernendæ sunt virtutes §. 156, 157.

Hinc Infideles Deo non placuerunt, sicut oportebat; quia virtutes suas, quæ videbantur bona, non retulerunt ad finem, ad quem referre debuerant §. 158.

Hinc apparet non dari actus morales indifferentes in individuo consideratos: sed necesse est ut referantur, aut non ad debitum finem; & aut boni sint, aut mali §. 159.

Hinc apparet non dari actum ex deliberatione rationis, qui in medio sic consistat, ut nec bonum sit; nec malum §. 160.

Hinc ipsa opera honesta, quæ homines faciunt ex amore honestatis, quamvis in illis operibus operetur Deus (qui etiam per malos bona facit): non sunt tamen bona; quia non propter illud faciunt, propter quod fieri debent §. 161.

Nec

Nec ea, quæ huc usque dicta sunt, officiunt Bullis *Unigenitus*, & *Ex omnibus afflictionibus* §. 162.

Per Moysem igitur Lex, per Christum gratia data est, quæ quamvis abstulit a nobis jugum cæremoniarum Legis; tamen non subtraxit nos a Decalogi observatione §. 163. Sed veros Observatores Decalogi non opera tantum; sed fides, spes Cælestium, & caritas facit. Hinc qui has habentes Decalogum observarunt, etiamsi sub Lege, ad Novum: qui vero propter terrena Deo servierunt, etiamsi Christiani, ad Vetus pertinent Testamentum 164, 165.

Igitur quamvis Lex, doctrina, timor pœnæ sint dona Dei, attamen non germinant nec fidem, nec spem, nec bonam voluntatem, nec fructum boni operis; nisi Deus det suavitatem, ut scilicet cognita sive per legem, sive per internam illustrationem, diligamus, & sancto amore faciamus §. 166.

Qui autem dicunt hanc sanctam dilectionem nihil aliud efficere, quam voluntatem excitare, allicere, & suadere ad bonum; nec efficere ipsum liberum consensum voluntatis; sed expectare, ut illud præstetur viribus naturæ: confundunt eam cum lege, atque doctrina §. 167. & idcirco Deus largiretur tantum possibilitatem, non autem ipsum velle nostrum §. 168.: Quod quidem in Congruistarum systemate etiam occurrit §. 169.

Tandem qui vult esse Christianus hanc gratiam confiteri oportet; nempe Deum interna, & occulta; mirabili, & ineffabili potestate operari in cordibus hominum, non solum veras revelationes, sed bonas etiam voluntates §. 170.: consensum tamen est revera nostrum §. 171.; quamvis a Deo operetur §. 172.; ideoque non læditur liberum arbitrium §. 173.

Est ergo Deus, non solum Adjutor noster per singulos actus bonos; sed etiam Largitor Virtutis §. 174.; ac propterea homo etiam plenissime justificatus indiget incremento virtutis, seu actuali auxilio Dei ad bene operandum §. 175.

Hinc quandoque etiam fit, ut Sancti velint facere Dei mandatum, & non possunt. Hoc permittit Deus, ut humiliores efficiantur; ne facilitatem in omnibus assecuti putent esse suum, quod Dei est 176. Non igitur

tur tanta est bona voluntas, ut cui adjaceat, possit etiam perficere bonum, nisi novo auxilio Deus det §. 177.

Ex his animadverti potest, in statu naturæ lapsæ, vitio voluntatis, interiori gratiæ quandoque resisti, quæ tamen fuisset sufficiens, nisi caro esset infirma. §. 178. Veruntamen nec noxia, nec perniciosa est ei cui hæc gratia datur; imo est utilis, quia necessitate infallibilitatis Deus efficit per illam in homine aliquod bonum imperfectum, ad quod illam ordinavit §. 179.

Deus autem omnipotentissima potestate ex nolentibus, volentia facit dura corda nostra §. 180; non ut censent Congruistæ §. 181; sed tribuendo certam scientiam boni, quod latebat; & Victricem delectationem boni, quod non delectabat §. 182. Hæc est Cælestis medicina, quam attulit infirmitati nostræ Mediator, ac Salvator omnium Christus Jesus §. 183.

Ex his igitur, quæ dicta sunt, sequitur remanere liberum arbitrium; quia non obligatione trahimur, sed delectatione; non necessitate, sed voluptate §. 184.

Hæc sunt Divi Augustini, & Thomæ dogmata, quæ an tutissima, & inconcussa sint, ipsiusmet Romanæ, & Apostolicæ Sedis nos scripta docuerunt. §. 185.

Si quis igitur cum Pelagio sentire noluerit, confiteatur oportet, sic esse gratiam necessariam, ut sine ea nihil pietatis, atque justitiæ nec habere, nec facere possimus. Et liberum arbitrium nonnisi ad peccandum valere; ad bonum autem non sufficere; nisi adjuvetur a Deo §. 186. Cujus ægritudini per gratiam medicina aptatur; & vincula ejus dirumpuntur §. 187.

Hæc autem cælestis medicina non eumdem ordinem servat: sed diversimode in unoquoque ægroto valetudinem operatur §. 188, quorum tamen ordinum duplex genus distinguitur: unum efficit, ut præparetur voluntas bona: alterum, ut voluntas præparata adjuvetur §. 189. Exemplum hujus Cælestis Metamorphosis habetur in magno illo perseverantiæ dono, quod non eodem modo datur omnibus, quibus datur §. 190.

De subministratione vero gratiæ Dei non digne sentit, quisquis eam putat omnibus hominibus dari 191:

in-

infantes enim in uteris matrum decessi, omni auxilio pœnitus sunt destituti. §. 192.

Nam quamvis Christus Jesus dedit semetipsum Redemptionem pro omnibus, & pro omnibus sanguinem suum fudit; non omnes tamen mortis ejus beneficium recipiunt. §. 193. Quapropter obscæcati, & indurati actuali gratia, etiam inefficaci sunt destituti: quod aliquando ad tempus accidit etiam Filiis Misericordiæ, ut contra superbiam erudiantur §. 194.

Neque hoc opponitur verbis Apostoli dicentis. *Deus vult omnes homines salvos fieri* §. 195. 196.. Et quamvis Pelagius hæc verba in sententiam suam traxerit: tamen eius sententiam D. Thomas minime probavit quod quidem a Nupero Theologo negatur §. 197.) Sed fallitur oppido §. 198..

De Justis autem dubium non est, quod eis non semper adsit gratia efficax, etiam urgente præcepto. Gratia vero parva & inefficax adest tantum justis volentibus, & conantibus; sed ea deest aliquando Justis nec volentibus, nec conantibus §. 199.. Cujus rei exemplis plenam humanam vitam esse, ipsa experientia docet §. 200..

Igitur falluntur qui credunt *Deum semper stare ad ostium cordis, & pulsare;* sic intelligendo, quasi Deus continuo gratiam suam in unoquoque infundat §. 201.

Sed magis falluntur ii, qui dicunt peccatum sive ab impiis, sive a justis actuali gratia destitutis, commissum, non imputari §. 202. Habent enim tam Justi, quam Impii arbitrii libertatem, quæ ad merendum, & demerendum requiritur §. 203. Nec vincibilis ignorantia excusat a culpa; nec datur invincibilis ignorantia in jure naturæ §. 204: Immo nec inadvertentia excusat. §. 205; nec tenacitas vinculi carnalis; nec violentia pravæ consuetudinis excusant a peccato §. 206.

Sed ut ad justos redeamus. Non semper igitur adest eis quæcumque gratia, cum agitur de peccatis lætalibus, per quæ justitia amittitur §. 207. Quamvis credendum est Deum semel Justificatos numquam deserere, nisi ab eis prius deseratur §. 208.

Etsi vero hucusque probatum fuerit, quod omne quod boni sumus, aut facimus, a Deo est; non tamen se-

qui-

quitur ut præcepta Dei sint, aut dici possint impossibilia §. 209. Ideoque merito duæ propositiones sunt damnatæ: una a Synodo Tridentina; altera ab Innocentio X, §. 110.

Ex his, quæ hucusque dicta sunt colligitur necessitas, efficacia, & gratuitas gratiæ Dei §. 211.

De Prædestinatione.

DEus vero ante Mundi Constitutionem, & quæ dona, & quibus daturum erat præscivit; & in sua præscientia, quæ falli, mutarique nequit, opera sua futura dispofuit: & hoc proprie est Prædestinatio. Prædestinatio igitur est gratiæ præparatio: gratia vero ipsius prædestinationis effectus §. 212.

Prædestinatio autem est prorsus *gratuita*, sicut & gratia §. 213; quemadmodum etiam fuit Beatæ Virginis, & ipsius Christi Prædestinatio, quæ exemplar est Prædestinationis nostræ. §. 214. Non est igitur Prædestinatio ex prævisis meritis, cum merita nulla sint, nisi per gratiam, quæ effectus, non causa est prædestinationis. Deus igitur elegit quos voluit, & electos vocavit §. 215, quos & iustificavit; & justificatos glorificavit. Omnia hæc quibus se daturum Deus præscivit, ideo præparavit, & prædestinavit §. 216.

Prædestinatio Sanctorum igitur est ipsa præscientia, & præparatio beneficiorum Dei, quibus certissime liberantur, quicumque liberantur. §. 217. Præscientia vero non operum nostrorum, sed donorum ipsius Dei §. 218 Præparavit igitur quia elexit: elexit autem quia dilexit: Dilexit autem in eos non peccatum, quod erant contracturi; sed gratuitum misericordiæ suæ donum, quod in eis operaturus erat §. 219. Isti proprie sunt, qui in Evangelio nominantur Electi; non vero qui tantum Evangelio credunt; quemadmodum putant quidam §. 220

Itaque ii qui Evangelium aut non audierunt, aut audientes non crediderunt, ex uno eunt omnes in condemnationem: ii vero qui ad Christum venerunt, & non perseveraverunt Filii temporales Dei Desertores, & de-

ferti

ferti, ad multitudinem vocatorum, non ad Electorum paucitatem pertinent §. 221.

Cur autem alios non dilexerit, & elegerit Deus? Meritum est originalis peccati; & in istis Justitia apparet.

Cur autem dilexerit, & elegerit alios? Hæc est voluntas ejus; & in his Misericordia apparet. Nam etsi neminem liberaret Deus, non esset injustus §. 222.

Cur potius hunc, quam illum? Ignoratur §. 223.

Cur creet eos, qui damnandi sunt? Alia est causa nascendi, alia pereundi. Distinguendum est vitium naturæ, ab Auctore Naturæ §. 224.

Postremo numerus Prædestinatorum integerrimus in Regno Dei perducetur: & hic numerus in Ecclesia tantum Catholica continetur, extra quam salus obtineri non potest, & in qua sola Deus VERÆ RELIGIONIS colitur obsequio §. 225.

FINIS.

[illegible]